DE

HONORII I. ROMANI PONTIFICIS CAUSA IN CONCILIO VI.

DISSERTATIO

JOSEPHI PENNACCHI

IN ROMANA STUDIORUM UNIVERSITATE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORIS SUBSTITUTI.

AD PATRES CONCILII VATICANI.

PRÆFATUS EST

P. BONIFACIUS WIMMER

ABB. S. VINCENTII ET PRÆS. CONGREG. BENEDICT. AMERICANÆ.

PROSTAT PRO GERMANIA ET AMERICA

RATISBONÆ, NEO-EBORACI & CINCINNATII

APUD

FRIDERICUM PUSTET, Typogr. S. Sedis Apost.

MDCCCLXX.

Lecturis Salutem!

Si ego Josephi Pennacchi dissertationi „De Honorii I. Romani Pontificis Causa in Concilio VI.“ præfationem commendatoriam præmitto, cum vir sim inter literatos omnino ignotus, ejusmodi commendationem apud plurimos nihil ponderis habere, bene scio; attamen cum vir de re catholica optime meritus — Fr. Pustet bibliopola — a me petierit, ut Prooemio ab auctore scripto pauca verba adderem vel præmitterem, hanc petitionem eo minus ei denegare potui, quia ex mea suggestione, pacto cum Auctore inito, opusculum vendendum suscepit, et quia persuasum mihi habeo, quod temere non agam, si illud summe commendo et laudo. Quamvis enim magnam in historia Ecclesiastica eruditionem me habere non prætendam — animarum enim cura et regimen provincia mea est — asserere tamen possum, quod omnia fere, quæ de Honorio scripta sunt, attente et magna cum diligentia legerim, quia hujus Pontificis gesta intime connexa sunt cum quæstione de Romanorum Pontificum infallibilitate, de qua in Concilio Vaticano votum dandum erat.

Quæ autem auctor hujus dissertationis hac de re edidit, meo quidem judicio multo magis satisfaciunt cuicumque veritatem sincere quærenti, quam reliqua omnia, quæ hac de re scripta sunt. Nihil enim asserit, quod non probat, non meris conjecturis aut hypothesibus plus minus probabilibus, vel etiam temerariis rem adstruit, sed factis et documentis, quæ in sensu omnino nativo et literali explicat; et ex quibus conclusiones trahit logice tam stricte veras et rectas, ut impugnari non possint. Ideo etiam publicæ ephemerides: Civilta cattolica, Unita Cattolica,

Scienza e Fede di Napoli etc., et doctissimi quique viri, plurimis laudibus hanc dissertationem prosecuti sunt. Quod si aliqua ab eruditissimo auctore proferuntur, quibus non esse subscribendum aliquibus visum est, quamvis catholicis communibusque principiis ea demonstret et evincat, v. g. sententiam contra Honorium latam Sess. XIII. Concilii VI. vim œcumenici non habere judicii — plures tamen, saltem in Italia, qui post eum hac de re scripserunt, ei omnino subscripserunt, e. g. Auctor opusculi: Papa Onorio e il Concilio VI. (qui est Pius Delicati, in Seminario Romano Hist. Eccl. Professor), atque eruditissimus Josephus Fabi, qui contra Hefele scripsit: Pro Honorio et Sede Apostolica — et nemo argumenta Pennacchi nostri usque nunc solide refutare valuit.

Hac ex causa hanc dissertationem plurimum commendare non hæsito, utpote quæ et catholicis adjumento, heterodoxis vero lumini esse possit. Etenim post definitam Summorum Pontificum infallibilitatem eo magis necessarium est, ut omnes sacerdotes arma sibi parent ad hoc dogma defendendum et tuendum, quod sine dubio acerrime a Rationalistis in utroque campo impugnabitur. — Ab eodem Auctore eodemque editore aliud post breve opusculum parabitur, quo ea, quæ in hac dissertatione scripta sunt, confirmantur et corroborantur; ea vero, quæ ab aliquibus sive viva voce, sive scripto contra objecta sunt, dissolvuntur, — in quod ii, quorum interest, animam advertant.

Romæ ad S. Elisabetham
Festo S. Jacobi, 1870.

Bonifacius Wimmer
Abb. S. Vincentii et Præs. Congr. Bened. Americanæ.

PROEMIUM

Gravissimam sane quaestionem aggredior dum de Honorii I. Romani Pontificis causa in Concilio VI. agitata atque dirempta sermonem instituo. Fuit enim hic Pontifex antiquorum Gallicanorum clypeus, quo possent inerrantiam Romanorum Pontificum aliquid, ut dicitur, ex cathedra definientium inficiari; nullumque latet, quot quantaque argumenta congesserint tum ex epistolis ipsius Honorii ad Sergium Constantinopolitanum Antistitem, tum ex actis Concilii VI., tum ex aliis documentis doctissimus Bossuet in defensione declarationis Cleri Gallicani anni 1682., atque Cardinalis de la Luzerne in opere Parisiis vulgato Sur la déclaration de l'assemblée du clergé de France, ut alios praetermittam.

Verum et est adhuc Honorius illorum propugnaculum, qui infallibilitati Romanorum Pontificum etiam nunc adversantur; nullusque pariter ignorat, quae et quanta de heterodoxia eius scripta sint et scribantur sive publicis ephemeridibus, sive libellis, sive operibus vulgatis. Undique resonat nomen Honorii, undique ad Honorium appellatur tanquam ad invictum argumentum fallibilitatis Romanae Sedis, undique eius epistolae, acta Concilii III. Constantinopolitani afferuntur, explicantur, exponuntur, ut tandem concludi possit, ipsum in fide naufragium fecisse.

Neque aliquid tamen novi dicunt, neve ullum novum argumentum in medium proferunt, quo rem suam tueantur; sed quae a veteribus Gallicanis doctissimis, summique nominis dicta sunt, ea securo animo repetunt, quasi inexpugnabilia.

Hinc et ego defensionem parabo meam, etsi praestantissimi quique me in hac palaestra praecesserint, et quae assiduo studio, documentorum examine, argumentorum sive pro sive contra accurata discussione didici, ea publici iuris facio, sperans futurum, ut lectoribus haec mea, quaecumque demum sit, disputatio non displiceat.

In hac porro Honorii defensione paranda, illud omnino cavi, ne partium studio abriperer; sed in id tota mente incubui, ut quae ex documentis constarent, sincere proferrem. Novi enim, plus alicui nocere falsam defensionem quam accusationem apertam. Hinc in Honorio defendendo, quamlibet praeconceptam opinionem deposui, ne quis putaret, a me hanc pro ipso scriptam Apologiam, vel amore Romani Pontificis, quem certe summopere diligo, vel alia quacumque de causa, quae animum sincerum

et catholicum dedeceat. Numquam enim me praeteriit eos, qui Honorium accusant, falsa multa proferre, interdum pessime ratiocinari, et sibi contradicere, atque duci non studio veritatis, sed scholae, quam quisque sequitur. Eorum vero qui defendunt, nonnullos quidem, etsi bonos, aliquando dormitare; nonnullos vero quaedam dicere, quae ab adversae partis hominibus merito reprobari possunt, ob non accuratam documentorum discussionem, ut quilibet cognoscere ex iis, quae dicturus ero, facile poterit.

Atque hanc meam dissertationem vobis Reverendissimis doctissimisque Patribus, qui Concilio Vaticano interestis, dicatam peropto; vobis, qui lux estis Ecclesiae Christi, ut errorum tenebras nunc orbi terrarum incumbentes, discutiatis. Vos igitur, qui cum et sub Romano Pontifice iudices estis fidei infallibiles, enixe rogo, ut hunc studiorum meorum perexiguum fructum benigno animo suscipiatis. Spero enim, neque ingratum vobis, neque inutilem fortasse futurum.

CAPUT I.

DISPUTATIONI PRAEMITTENDA

Itaque (ut rebus declarandis historiam brevem et necessariam praemittam) initio fortasse anni 634. Sergius Patriarcha Constantinopolitanus ad Honorium Romanum Pontificem scripserat, Cyrum antea Phasidis, tum vero Alexandrinum Antistitem Severianos haereticos (1) ad unitatem catholicam reduxisse, pacta cum ipsis satisfactione quadam, seu fidei professione, qua inter cetera profiterentur unam in Christo operationem. *Facta sunt inter utrasque partes dogmatica quaedam capitula, in quibus omnes . . . coadunati sunt cum sanctissima ac sola catholica ecclesia . . . . Ex his autem, quae dicta sunt atque stabilita, unum existit capitulum*

(1) Ita dicti a Severo Sozopolitano antea causidico, postea Monacho, deinceps anno 512 Episcopo Antiocheno. Hi respuebant tum Synodum Chalcedonensem, tum negabant duas in Christo naturas. Erant Eutychiani.

de una operatione Christi magni Dei, et Salvatoris nostri.

Sophronium vero tum Monachum, tempore vero, quo Epistolam scribebat, Hierosolymorum Episcopum, Cyro adversatum fuisse, quod admittendas esse in Christo duas operationes contenderet. *Sophronius venerabilis Monachus, qui (ut nunc ex auditu didicimus)* (1) *Hierosolymorum Praesul... adversatus est, et contradixit ad unius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri.*

Cum quaestio illa ad se delata fuisset, affirmabat, se utrique parti silentium indixisse, ne sancita cum haereticis concordia rescinderetur, tot filiis privaretur Ecclesia..., insuper novae haereses exorirentur....*Durum nos hoc* (adimere nempe de pactis capitulis inter Cyrum, et Severianos capitulum de una operatione) *arbitrati sumus, et valde onerosum....... quando hoc resolvere evertereque erat futurum omnem illam concordiam atque unitatem, quae bene fuerat effecta.... Scientes quod semper ex huiusmodi decertationibus haereseon dissensiones effectae sunt; necessarium iudicavimus, omne studium ponere ad sedandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad saepe dictum Sanctissimum Alexandriae Patriarcham scripsimus ut ....de cetero nullum permitteret unam, aut duas proferre operationes in Christo Deo Nostro.*

(2) Ideo dixi, hanc epistolam scriptam, fortasse initio anni 634; Sophronius enim electus in Episcopum fuit sub fine anni 633.

Necessarium esse hoc silentium, ne recrudescerent consopitae haereses Nestoriana et Eutychiana, cum ab una operatione plurimi ad unam Christi naturam concluderent; scandalum vero plurimos sumere ex duabus operationibus, et quod haec vox a probabilibus Ecclesiae patribus adhibita non fuerit, et quod ex hoc dogmate sequi arbitrarentur voluntatum pugnam, a quibus operationes procedunt. *Unius operationis vox peregrina videatur, et perturbare aures quorumdam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum.....Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo Sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita. Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes.*

Consultius proinde fore, abrogatis, vel silentio pressis vocabulis unius, vel duarum operationum, hanc fidem praedicare. *Unum eumdemque Filium Unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina, quamque humana, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemqne incarnato Deo Verbo indivise procedere, et ad unum eumdemque redigi.*

De cetero se Romanae Sedis Antistitem enixe rogare, ut emendaret quidquid in sua epistola emendandum putaret. *Adhortamur vos, sacratissimi, haec omnia, legere, et si quid amplius minusve inveneritis, hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras... quae super his vobis fuerint placita, significare.*

Honorius hujus graecae vulpis fraudem minime suspicatus, cum Sergius ab omnibus ut Episcopus plane catholicus haberetur, atque conservandae catholicae unitatis gratia, illam scripsisse literam videri posset, ad ipsum binas dedit epistolas, quas inferius recitabo et expendam, quibus silentium a Sergio petitum omnino probabat. *Intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.* Ita in sua prima ad Sergium Epistola. In altera vero. *Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet... unam vel duas operationes definientes praedicare.*

Insistendum autem esse affirmabat antiquae fidei a Patribus traditae. *Nos enim in quo percepimus oportet ambulare.*

Atque ad evertendum eorum commentum, qui ex duabus in Christo voluntatibus sequi contendebant ipsarum voluntatum pugnam, unam in Christo fuisse voluntatem humanam fatetur: (1) *Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Jesu Christi.*

Atque postquam affirmaverit, eam fidem, quam ipse in sua epistola tradit, esse veram catholicamque fidem, Sergio indicit, ut eam ipse profiteatur et praedicet: *Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut et nos ea vobiscum unaniter praedicamus, hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Iesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in dua-*

(1) Hunc esse sensum illius sententiae evidentissimis argumentis infra demonstrabo.

bus naturis operatum divinitus et humanitus, fide orthodoxa atque unitate catholica praedicetis.

Ob has vero epistolas omne accusationis caput in Honorium prodiit; ob has haereticus declaratus est, ob has in dubium revocatur auctoritas infallibilis Romani Pontificis.

Ut igitur aliquo ordine procedam; referam 1. epistolam Sergii ipsius ad Honorium, eamque expendam, et a corruptione qualibet vindicabo; deinde examen et accuratam analysim in ipsius Honorii epistolas instituam, earumque genuinitatem et incorruptionem tuebor; quo demum iter mihi sternam ad ea, quae in causa eius acta sunt a Patribus Concilii VI.

CAPUT II.

EPISLOLA SERGII CONSTANTINOPOLITANI ANTISTITIS AD HONORIUM

Quoniam initium et cardo quaestionis, imo causa haereticae accusationis in Honorium fuit Epistola Sergii Cptani Patriarchae ad ipsum Honorium, operae pretium duco integram eam referre, ut ex sensibus in ea contentis; ex scopo et fine, ob quam scripta fuit, melius Honorii causa dignoscatur, et rectius pleniusque judicium de ea proferatur.

Sergius itaque ita scripsit (1):

« 1 In tantum vobis Sanctissimis consonan-
« ter in omnibus unanimitate spiritus constringi-
« mur, ut studeamus omnium consiliorum nostro-
« rum et actionum vos sacratissimos habere prae-
« sidentes; et nisi plurimum locorum distantia se-
« jungeret, hoc utique quotidie gereremus, vestrae
« honorandae unanimisque fraternitatis, munito
« muratoque circumsepientes consultu. Attamen
« quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore
« litera, quod studemus impartit, confestim ea,
« pro quibus hoc scribimus, narramus.

« 2 Ante aliquod certum tempus, cum ad-
« versus Persas a Deo confirmatus Dominus no-
« ster et magnus victor Imperator promovisset
« exercitum, propter certamina a Deo sibi credi-
« tae amabilis Reipublicae, et ad partes Armeniae

(1) Extat apud Labbaeum Collect. Concil. Tom. VI. pag. 917. Edit. Paris. 1671.

Et apud Baron. ad ann. 633. Tom. 8. pag. 314. Edit. Vatic. 1599.

« provinciae pervenisset; unus ex principibus im-
« piae partis Severi execrabilis, nomine Paulus,
« in illis locis apparens, ad eius pietatem accessit,
« sermonem pro sua errabunda haeresi proferens,
« et hoc profecto dumtaxat satisfaciendo; (1.) in
« quibus piissima eius ac regalis magnanimitas
« (cum ceteris enim donis Dei, etiam divinorum
« dogmatum locupletari scientia meruit) dum re-
« darguisset, ac depompasset pravam eius impie-
« tatem, profanis eius astutiis sanctae nostrae Ec-
« clesiae, ut verus eius propugnator, recta atque
« immaculata e diverso protulit dogmata, inter
« quae et unius operationis Christi veri Dei no-
« stri fecit mentionem.

« 3 Post aliquod vero tempus idem a Deo
« confirmatus Imperator in provinciam Lazorum
« adveniens, recordatus est disputationis, quam,
« sicut diximus, fecerat ad Paulum illum haere-
« ticum, in praesentia Cyri sanctissimi, tunc qui-
« dem eiusdem Christo amabilis Lazorum provin-
« ciae metropolitanam sedem tenentis, nunc au-
« tem magnam Alexandriam regentis. Praedictus
« igitur sanctissimus vir, his auditis, eius sereni-
« tati respondit, nescire subtiliter, utrum unam,
« an duas operationes Christi veri Dei nostri ad-
« struere necesse sit. Ergo per iussionem eius pie-
« tatis, per literas proprias interrogavit nos prae-
« dictus sanctissimus vir, utrum unam operationem,
« an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit
« dicere; et si quosdam noscamus sanctorum ac
« beatissimorum patrum unam dicentes operationem.

(1) Id est, eius patrocinio suscepto, eam defendendo, et argumentis quomodolibet muniendo.

« 4 Unde nos quae nostrae erant scientiae,
« per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes
« etiam sermonem acclamatorium Mennae sanctis-
« simi quondam patriarchae huius a Deo conser-
« vandae regiae urbis, porrectum ab eo hic prae-
« senti Vigilio sanctae memoriae praedecessori
« Sanctitatis Vestrae, habentem et diversa testimo-
« nia paterna de una operatione et una voluntate
« Salvatoris nostri Christi veri Dei nostri. Nihil
« tamen proprium penitus in huiusmodi nostris
« rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse
« vos sacratissimos et unanimes, relegentes eorum,
« quae missa sunt, exemplaria. Et silentium qui-
« dem ex illo tempore huiusmodi suscepit capi-
« tulum. (1).

« 5 Quia igitur ante parvum tempus, coope-
« rante gratia Dei, qui omnes homines vult sal-
« vos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, (2)
« pio zelo fortissimi ac invictissimi magni Impe-
« ratoris excitatus Cyrus sanctissimus Alexandriae
« magnae civitatis Patriarcha, et communis frater
« noster et consacerdos Dei, amabiliter et mode-
« ste adhortatus est eos, qui in magna civitate
« Alexandrina, Eutychetis et Dioscori, Severi quo-
« que et Iuliani Deo odibilium haeresi languerent,
« ad catholicam Ecclesiam accedere. Et post mul-
« tas disputationes et labores, quos cum nimia pru-
« dentia, et saluberrima dispensatione in hac cau-
« sa impendit, hoc, quod festinabat, per supernam

(1) Hoc reapse putidum mendacium erat. Quomodo enim quaestio illa de una Christi operatione silentium suscepit, quando Cyrus paullo post pacem cum Severianis et Dioscori sectatoribus sancivit, capitulo VII. de una operatione subscribendo?

(2) II. Timoth. II. 4.

« gratiam ordinavit. Facta sunt inter utrasque par-
« tes dogmatica quaedam capitula, in quibus omnes
« (qui antea quidem in diversas portiones divisi
« fuerant, proavosque sibi Dioscorum atque Seve-
« rum sceleratos haereticos inscribebant) coadunati
« sunt cum sanctissima ac sola catholica Ecclesia,
« et unus grex Christi veri Dei nostri, omnis Deo
« amabilis Alexandriae populus factus est, et pene
« universa cum eis Aegyptus, Thebais, et Lybia, et
« ceterae aegyptiacae dispositionis regiones, quas
« olim considerabant (1), ut diximus, in innuméra-
« bilem haereseon multitudinem discissas ; nunc
« autem beneplacito Dei, et studio praedicti sanctis-
« simi Alexandrinorum Antistitis, unum labium facti
« sunt omnes, una vox, et in unitate spiritus recta
« Ecclesiae dogmata confitentur. Ex his autem, quae
« dicta sunt atque stabilita, unum existit capitulum
« de una operatione Christi magni Dei et salva-
« toris nostri.

« 6 His ita provenientibus, Sophronius ve-
« nerabilis Monachus, qui (ut nunc ex auditu di-
« dicimus) Hierosolymorum praesul est ordinatus
« (necdum enim hactenus eius ex more Synodica su-
« scepimus) apud Alexandriam tunc temporis positus
« cum praefato sanctissimo Papa, quando, sicut dixi-
« mus, admirabilem illam circa eos, qui dudum haere-
« tici fuerant, Dei beneplacito, unitatem componebat,
« atque cum eo de eisdem capitulis pertractabat,
« adversatus est, et contradixit ad unius operationis ca-
« pitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri
« dignum inquiens censeri; praenominato autem san-
« ctissimo Papa praesertim testimonia ei quorum-

(1) Ex textu graeco: considerare licebat.

« dam Sanctorum Patrum nostrorum proferente, « dispersim in quibusdam opusculis suis unam ope- « rationem asserentium; ad haec quoque et ex « abundanti inquiente, quod multoties Sancti Pa- « tres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum « salutem, dum talia emergerent capitula, Deo gratis « dispensationibus, ac placitis usi fuisse videntur, ni- « hil de subtilitate rectorum Ecclesiae dogmatum « exagitantes; et dicente, quod oporteat utique etiam « in praesenti, dum tantorum millium populorum « salus prae manibus ponitur, nihil de hoc per « contentionem altercari; idcirco quod, sicut dictum « est, etiam a quibusdam Sacris Patribus vox « huiusmodi dicta est, nihilque de hoc laedatur « rectae fidei ratio; memoratus Deo amabilis So- « phronius talem dispensationem nullatenus acce- « pto tulit. Quia igitur pro hoc cum literis eius- « dem sanctissimi comministri ad nos conjunxit, « de hoc quoque etiam apud nos sermonem mo- « vendo insistens, ut de talibus adimeretur capi- « tulis post factam unitionem vox unius operatio- « nis, durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo « enim non esset durum et valde onerosum, quan- « do hoc resolvere evertereque erat futurum qui- « dem omnem illam concordiam atque unitatem, « quae bene fuerat effecta, tam apud Alexandri- « nam magnam civitatem, quamque per univer- « sas sub ea provincias, quae nullo tempore usque « nunc acquieverant, nomen saltem simplex divi- « ni atque laudabilis Patris nostri Leonis, aut « Sancti et magni atque universalis Chalcedonen- « sis Concilii mentionem facere, nunc vero prae- « clara et magna voce in divinis missarum arca- « nis hoc praedicantes?

7 Multis igitur a nobis de hoc motis sermo-
« nibus ad praenominatum venerabilem Sophro-
« nium, postremo adhortati eum sumus, testimo-
« nia nobis proferre sanctorum ac probabilium
« Patrum, illorum videlicet quos omnes commu-
« niter Doctores confitemur, et quorum dogmata
« legem sanctae Dei cognoscunt Ecclesiae, duas
« nominatim et ipsis verbis operationes in Chri-
« sto dicendas tradentia; ille autem hoc facere pe-
« nitus non valuit.

8 Nos vero considerantes, incipientem ex hoc
« inter quosdam hic contentionem exardescere, et
« scientes quod semper ex huiusmodi decertatio-
« nibus haereseon dissensiones effectae sunt; ne-
« cessarium iudicavimus, omne studium ponere ad
« sedandum, atque amputandum talem superfluum
« verborum conflictum, et ad saepe dictum san-
« ctissimum Alexandriae Patriarcham scripsimus, ut
« postquam unitatem cum his, qui pridem sepa-
« rabantur, Deo auxiliante composuit, de cetero
« nullum permitteret unam aut duas proferre ope-
« rationes in Christo Deo nostro; magis autem
« (sicut sancta et universalia tradiderunt Concilia)
« unum eumdemque Filium Unigenitum Dominum
« Nostrum Iesum Christum verum Deum operatum
« confiteri tam divina quamque humana, et omnem
« Deo decibilem et homine dignam operationem
« ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedere,
« et ad unum eumdemque redigi; eo quod unius qui-
« dem operationis vox, quamquam a quibusdam
« Sanctis dicta est patribus, tamen peregrina vi-
« deatur, et perturbare aures quorumdam, suspi-
« cantium ad peremptionem hanc proferri incon-
« fuse, atque secundum subsistentiam unitarum in

« Christo Deo Nostro duarum naturarum ; quod
« non est unquam , nec fiat. Similiter autem et
« duarum operationum dictio multos scandalizet ,
« utpote a nullo Sanctorum et probabilium Ecclesiae
« institutorum edita.

9. « Insuper et consequens ei sit praedicare duas
« voluntates contrarietates circa invicem habentes,
« tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente
« adimpleri passionem, humanitate vero eius obsi-
« stente eius voluntati et resistente , et perin-
« de duo contraria volentes introducantur ; quod
« impium est. Impossibile quippe est in uno eo-
« demque subiacenti duas simul, et erga hoc ipsum
« contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris
« Deum gerentium Patrum doctrina manifeste in-
« struit, quod numquam intellectualiter animata Do-
« mini caro separatim, et ex appetitu proprio con-
« trario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei
« Verbi naturalem motum suum effecit; sed quan-
« do, et qualem, et quantam ipse Deus Verbum
« volebat; et ut plenius dicatur: quemadmodum
« corpus nostrum regitur, et ornatur, et disponi-
« tur ab intellectuali et rationali anima nostra ;
« ita et in Domino nostro tota humana eius con-
« spersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omni-
« bus mota, Deimobilis erat, secundum Nyssenum
« Gregorium dicentem contra Eunomium ita: se-
« cundum quod Deus Filius impassibilis utique est,
« et immortalis. Si qua autem passio de eo in Evan-
« gelio dicitur, per humanitatem profecto , quae
« suscipiebat passionem, huiusmodi operatus est.
« Operatur quippe vere Deitas per corpus , quod
« circa ipsam est, omnium salutem , ut sit carnis
« quidem passio, Dei autem operatio.

10 « Hanc igitur, ut dictum est, contentio-
« nem incipientem accendi videntes, necessarium
« iudicavimus, attritas potius Sanctorum Patrum vo-
« ces, et synodice definitas semper sequi, et ne-
« que quae raro a quibusdam Patribus dicta sunt,
« et non circa haec intentionem habentibus, quasi
« planam et inambiguam de eis doctrinam expo-
« nerent, ad regulam et legem per omnia dogma-
« ticam reducere; quale est et quod de una ope-
« ratione ab eis dictum est (1); neque iterum
« quae nullatenus dicta sunt a probabilibus Patri-
« bus, nunc vero a quibusdam proferuntur, duas
« inquam operationes, tanquam dogma ecclesiasti-
« cum proferre. Et ad ultimum stetit ac placuit,
« quatenus praedictus Sophronius venerabilis nul-
« lum sermonem de cetero de una sive duabus
« operationibus movere debeat, sed ei sufficiat
« praefata, cautaque, ac trita sanctorum Patrum
« recta traditio, atque doctrina ».

« His itaque contentus saepe nominatus vene-
« rabilis vir, et haec custodire certificans, petivit
« nos etiam per epistolam de his ei praebere respon-
« sum, quatenus huiusmodi epistolam, ut ait, osten-
« dat his, qui forsitan interrogare eum de praedicta
« quaestione voluerint; quod et alacriter egimus. Et
« ille quidem in his hinc enavigavit.

(1) Haec quidem periodus contradicit omnibus iis, quae supra Sergius exposuit de una in Christo operatione credenda, quam doctrinam et profitetur, et testimonio Gregorii Nysseni confirmare conatur. Attamen latere volebat vaferrimus Graecus, et amicus videri ecclesiasticae pacis, dum catholicis dogmatibus hac ipsa epistola acre bellum inferebat.

11 « Nuper autem piissimus, et a Deo coro-
« natus Dominus noster apud Edessenam demo-
« rans civitatem pios ad nos apices fecit praeci-
« pientes, ut paterna illa testimonia defloraremus,
« quae continentur in libro dogmatico, sicut di-
« ctum est, facto a sanctae memoriae Menna ad
« sanctissimum Vigilium de una operatione, et
« una voluntate; et haec a Deo instructae eius
« Serenitati dirigere deberemus; quod et ad effe-
« ctum perduximus.

12 « Nos autem quae dudum mota sunt me-
« moria retinentes, et tumultum, qui ex huiusmodi
« motione coepit, scientes, suggessimus eius piis-
« simae Serenitati per mediocrem nostram sugge-
« stionem, et scripta ad excellentissimum Sacella-
« rium imperialem consequenter huius capituli
« omnem subtilitatem, horumque, quae a nobis
« de hoc actitata sunt, et quod non oporteat de
« huiusmodi inquisitione perscrutari, sed permanere
« in attrita Patrum doctrina, quam omnes conso-
« nanter confitentur de huiusmodi quaestione; et
« confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter
« Deus simul et homo est, eumdem operari di-
« vina et humana, et ex uno eodemque incarna-
« to Deo Verbo, sicut iam sumus effati, insepara-
« biliter atque indivise omnem divinam atque hu-
« manam operationem procedere. Hoc namque nos
« Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens:
« Agit enim utraque forma cum alterius commu-
« nione quod proprium habet. In quibus rescri-
« ptum piae jussionis ab eius mansuetissima su-
« scepimus fortitudine, quae a Deo conservandam
« eius Serenitatem condecent, continentem.

13 « His igitur omnibus principio ita pro-
« venientibus, rationabile simul et necessarium iu-
« dicavimus de his, quae partim memorata sunt ,
« cognitionem dare vestrae fraternae atque una-
« nimi Beatitudini per exemplaria , quae a nobis
« directa sunt; et adhortamur vos sacratissimi haec
« omnia legere , et Deo placitam et plenissimam
« caritatem, quae in vobis est , nunc quoque se-
« quentes, si quid amplius minusve inveneritis, (1)
« hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere,
« atque per sanctas sylabas vestras una cum ve-
« stra optabili sospitate, quaeque super his Vobis
« fuerint placita, significare. »

Hanc autem epistolam legenti illico apparet, nullum non movere lapidem Sergium , ut duarum operationum vocabulum de medio tollat, statuat autem unius operationis vocem, etiamsi indifferentem aliquando ad utrumque se demonstrare videatur. Nolebat enim vir ad omnem fraudem versutus apertum bellum duabus in Christo voluntatibus et operationibus inferre, ne ipsi tanquam haeretico anathema a principio diceretur. Attamen manifestum satis puto ex Epistola, eum ita sermonem componere , ut Honorium inducat ad suffragium ferendum unius potius voluntatis et operationis vocabulo, quam voci duarum voluntatum et operationum; et hoc primo loco demonstrabo. Certissimum esse deinde arbitror, a Sergio monotheliticam haeresim aperte adeo proferri, ut omnino impossibile sit ipsum excusare , quasi ab Honorio nil aliud petierit nisi silentium super utrumque sive unius sive duarum operationum vocabulum, nullimode vero Monothelismum propugnaverit ; quod secundo loco defen-

(1) Aliter: si quid forte imperfecte est dictum.

dam (1). Quoniam vero doctissimus Ioannes Baptista Bartholus Episcopus Feltriensis in sua Apologia pro Honorio I. Romano Pontifice (2) omnino contendit, *hanc epistolam Sergii ad Honorium a Monothelitis ante sextam Synodum vitiatam fuisse, ut Honorii rescripto ab iisdem pariter corrupto responderet*; hinc tertio loco epistolae huius integritatem tuebor; atque argumenta omnia a Rev. Episcopo allata nullius esse ponderis ostendam. Haec vero distinctis capitibus ad confusionem vitandam.

(1) Haec vero demonstrare omnino necessarium duco. Si enim in sua ad Honorium Epistola Monothelismum Sergius omnino professus est, iure ab iis quaeram, qui Honorium veluti Monothelitam traducunt: quare ipse doctrinam Sergii non probavit? quare imo contrariam statuit? sed de hac veritate plura inferius proferam.

(2) Cap. XII. pag. 102. Ausugii 1750.

CAPUT III.

DE SERGII MENTE IN CITATA AD HONORIUM EPISTOLA, ET DE HAERESI IN EA CONTENTA.

Ut itaque a primo capite exordiar. Voluisse Sergium, silentii praetextu, ab Honorio monotheliticae pravitatis confirmationem impetrare, illico apparebit cuicumque considerabit, eum velle non posse dogmatis alicuius silentium, qui omnia argumenta de cetero congerat ad illud defendendum; contrariam sententiam a Patrum traditione excludi perhibeat; nihil insuper praetermittat, advocatis opportune in auxilium etiam circumstantiis extrinsecis, ut probet, ab ecclesiastica prudentia alienum esse, dogma illud a professione fidei sancita eliminare, a cuius exclusione immensa animarum pernicies oriatur oporteat; atque demum talem silentii oeconomiam exquirat, quae omnino ab iis, qui dogma illud profitentur, ratione sancitae fidei professionis, observari nequeat. Haec autem omnia in recitata Sergii ad Honorium epistola deprehendi, quis unquam inficiabitur? Quid enim aliud innuit sententia illa, unius operationis vocabulum a quibusdam Sanctis Patribus prolatum esse, a nullo vero vocabulum duarum operationum:? *Unius operationis vox a quibusdam Sanctis dicta est Patribus...duarum operationum dictio....a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita.*

Quae ne gratis dicta esse viderentur, testimonio quasi et auctoritate ipsius Sophronii contrarium asserentis utitur, dum dicit, neque adhortatum, hunc potuisse aliquod proferre Patrum testimonium, quo

probaret, duas in Christo esse dicendas operationes (1). *Ille autem hoc facere penitus non valuit.*

Et quid aliud quam monothelismi confirmationem optat, cum affirmat, Mennam praedecessorem suum multa Sanctorum Patrum testimonia recitare de una Christi voluntate et operatione in libello dogmatico, quem porrexisse dicit Vigilio Papae Constantinopoli tunc commoranti? Haec certe demonstrant, voluisse eum talem conficere epistolam, ex qua perciperet Honorius, antiquos Ecclesiae Patres, atque fere universam ecclesiasticam traditionem favere quidem dogmati de una in Christo voluntate et operatione; repugnare vero sententiae, quam primum defendisse Sophronium dicit, de duabus operationibus et voluntatibus. Qui autem haec pro sua sententia statuit, quid aliud vult, nisi ut illa quidem statuatur; altera vero, saltem silentio indicto, a fidei professione eximatur?

Quod, ut melius Sergius ab Honorio impetraret, extrinsecas circumstantias in auxilium suum advocat, ut ex iis saltem Romanus Pontifex intelligeret, quam necessario vocabulum unius operationis retinendum esset, et quanto cum periculo repelleretur.

A principio enim affirmat, talem vocem ab Imperatore primum prodiisse viro plane catholico: *Piissima eius ac regalis magnanimitas, quae etiam divinorum dogmatum locupletari scientia meruit, recta atque immaculata protulit dogmata, inter quae et unius operationis Christi veri Dei Nostri mentionem fecit.* Praevidebat enim homo astutissimus, non adeo facile damnatum iri Imperatoris sententiam, qui ab omnibus undequaque catholicus habebatur, et reapse erat; praesertim cum de quae-

(1) Inferius indicabo quo sensu haec Sergius de Sophronio scripserit.

stione ageretur, quae a Conciliis sive generalibus, sive particularibus nunquam fuerat definita; noverat ipse Romanae Sedis prudentiam in negotiis pertractandis, ex qua proinde sperabat, propositae oeconomiae silentii servandi fore ut assentiretur, neque aures tam faciles Sophronio contrarium suggerenti praeberet. Quoniam vero etiam noverat Sergius, animarum salutem Romanis Pontificibus prae omnibus in animo esse; et ob hanc, eos sive Imperatorum gratiam, sive vitam ipsam spernere; ob oculos Honorio ponit, quanta animarum caedes oritura esset, si semel, spreta silentii, quam proponebat, oeconomia, contrarium dogma duarum scilicet voluntatum et operationum statueret. Huius enim vocabuli dicit, fideles scandalum sumere, quod a nullo Sanctorum Patrum dictum noverint; scandalum autem huiusmodi plurima posse fidelium conscientiae inferre detrimenta quomodo negari poterat? Dicit insuper (quod fortasse gravius Romano Pontifici apparere debebat) in dissolutionem abituram fuisse tot haereticorum ad fidem catholicam conversionem, quot ipse ad fidem rediisse Cyri opera adfirmabat; atque proinde omnino retinendum esse capitulum illud inter hunc et haereticos Eutychianos, ne dissolutio illa, et tot tantorumque haereticorum reditus ad haeresim cum tanto catholicae unitatis et fidei damno contingeret. Quid enim Ecclesiae jucundius et optabilius; quid animabus utilius esse poterat, quam extinctam cernere universam Eutychianorum factionem, synodum Chalcedonensem ubique receptam, nomen magni et Sancti Leonis I. Romani Pontificis exaltatum undique, fidem ab ipso sancitam in Epistola ad Flavianum ubique praedicatam; omnes denique in uni-

verso Patriarchatu Alexandrino unum labium factos, utpote in praedicanda Chalcedonensi fide concordes? Ex hoc insuper iam cessabant haereticorum insidiae, dissensiones in Ecclesia, animarum pericula, fidelium seductiones et scandala; et omnia bona ex adverso oriebantur. Ex his omnibus vero, quae magnificis adeo verbis extulerat, quid aliud sibi Sergius proponebat, nisi ut retineretur capitulum illud VII. a Cyro pactum in satisfactione cum Eutychianis de una in Christo operatione? Hanc certe consequentiam ipse eidem Honorio deducendam dimittit dum dicit, necessarium capitulum illud probari ad conservandam mirabilem illam concordiam unitatemque, *quae tam bene fuerat effecta tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quae nullo tempore usque* ad illum diem *acquieverant*. Hanc consequentiam et ipse deducit, dum specie quidem catholicae unitatis conservandae gratia, reapse vero haeresis promovendae studio exclamat. *Durum hoc arbitrati sumus, ut de talibus adimeretur capitulis post factam unitionem vox unius operationis.*

Qua de causa etiamsi ad pacem in Ecclesia catholica, conversionemque haereticorum conservandam illa Sergius dicere videatur, nulli dubium est, quin ea proferat, quo unam operationem statuat, duas vero a Christo voluntates et operationes eliminet. Et quis de sententiae huius veritate dubitabit, cum videat Sergium Sophronio quidem silentium indicere, Cyro vero praecipere ut in conventa cum haereticis satisfactione permaneat? *Ad saepe dictum Sanctissimum Alexandriae Patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit,*

de cetero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes. Sarta tectaque igitur illa satisfactio habenda erat; in ea igitur Cyro, in ea reliquis omnino permanendum erat; iis igitur permanendum pariter erat in fide unius operationis, quae cap. VII. satisfactionis conventae proponebatur.

Atque hinc apparet, Sergii studium in eo fuisse, ut omnino unam operationem statueret, duas vero reprobaret. Quod etsi evidentissimum sit; tamen ulterius confirmo, ex quo misisse se testetur ad Imperatorem Heraclium omnia illa Patrum testimonia de una operatione et voluntate, quae continebantur in Apochrypho Sermone a Menna ad Vigilium Romanum Pontificem facto, et acclamato. *Pios ad nos apices fecit,* (Imperator) *praecipientes ut paterna illa testimonia defloraremus, quae continentur in libello dogmatico, sicut dictum est, facto a sanctae memoriae Menna ad Sanctissimum Vigilium de una operatione et de una voluntate; et haec a Deo instructae eius Serenitati dirigere deberemus; quod et ad effectum perduximus.* Monetque Imperatorem ut permaneat *in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quaestione.* Cum autem superius dixerit, a nullo Sanctorum et probabilium Patrum duas dictas operationes fuisse, a quibusdam vero unam; haec Patrum doctrina, ni fallor, pro Sergio nihil aliud erat, quam doctrina unius voluntatis et unius operationis. Quem quidem ipsius sensum fuisse, patet, ex quo dicat, Patres omnes confiteri: *Unigenitum Filum Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eumdem operari divina et humana, et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, inseparabiliter*

atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hanc vero fidei confessionem putidum esse Monothelismum nullus inficiabitur, qui epistolam Sergii legerit.

Equidem Sergius silentium sive unius, sive duarum operationum tum Cyro, tum Sophronio, tum ipsi Imperatori indicere videtur, et hoc ipsum enixe studere, ut ab Honorio impetret. Verum si mentem eius investigemus, certissime inveniemus, ea silentii ratione voluisse tum promovere, tum Monothelismum consolidare.

Revera omnino contendit, cavendum esse, ne sancita per Cyrum cum haereticis concordia rescinderetur; hos autem debuisse fidem suam profiteri pactorum ad normam capitulorum quis unquam inficiabitur? Debebant ergo Eutychiani, et ipse Cyrus debebat profiteri capitulum VII., quo in Christo una operatio statuebatur. Quomodo igitur observare silentium poterant circa dogma capitale fidei suae, sine quo pacta satisfactio nullius valoris esset habenda? Sicut Catholici silentium observare non possunt circa ex. gr. Verbi divini cum Patre consubstantialitatem, quod hanc in symbolo quotidie profiteantur; ita neque Eutychiani ad fidem per Cyrum reducti poterant professionem illam unius Christi operationis praetermittere, quod illa contineretur in explicita suae fidei confessione. Silentium igitur a Sergio petitum os quidem obstruebat catholicis, ne duas operationes praedicarent; cum haec veritas neque in symbolo contineretur explicite, neque ab aliquo Concilio sive oecumenico, sive particulari fuerit definita; minime vero Monothelitis, pro quibus dogma praecipuum fidei una Christi operatio constituebat.

Atque hinc sequebatur 1. Catholicis quidem tacendum esse tum inter se, tum cum alienis, ne Romani Pontificis decreto obsistere viderentur; non tamen tacendum haereticis fuisse inter se, quód per silentium indictum, nullimode abrogatum fuerit capitulum VII. pactae cum Cyro professionis.

Sequebatur 2. omnes illos sive haereticos sive infideles, qui, opera praesertim Cyri et Eutychianorum in Patriarchatu Alexandrino ad catholicam unitatem accedere videbantur, debuisse eandem profiteri fidem, cum nulla alia ab ipsis proponeretur; ex quo iterum impossibilitas observandi silentii etiam cum aliis.

Sequebatur 3. videri plerisque potuisse, ne dicam omnibus, probatam ab Honorio Cyri cum Severianis Satisfactionem, et consequenter capitulum VII. Cum enim Sergio pateret, Honorium illud indixisse silentium, ne sancita concordia rescinderetur, ei, tum Cyro, reliquisque videbatur Honorius illam velle; et proinde etiam velle professionem capituli VII. de una operatione, sine qua unitas illa in dissolutionem abitura fuisset.

Sequebatur 4. iure catholicos eos omnes existimari potuisse, qui Cyri fidem profiterentur.

5 Demum sequebatur, ab Honorio veluti probatam hanc ipsam suam, quam ad illum scribebat epistolam; cum enim monotheliticum dogma ibi scripsisset Sergius, non poterat illud Honorius damnare, quin leges petiti silentii violaret. (1)

(1) At Deus, qui lumine suo Romano Pontifici de fide loquenti semper adfuit, semper adest, semper aderit, (definiatur, nec ne, haec veritas de fide) permisit utique ut Honorius probaret oeconomicum silentium a Sergio expetitum; at quod ad doctrinam spectat, voluit ut ipse exponeret fidem e diametro fidei Sergii oppositam, ut infra probaturus indubiis argumentis ero.

Haec igitur fuit pessima huius Graecae vulpis intentio; mediante, scilicet, silentii oeconomia, de medio tollere praedicationem duarum operationum, statuere vero fidem unius in Christo operationis et voluntatis. Ista profecto Cyrum ipsum non latebant; siquidem ipse in Epistola illa sua ad Sergium, quae lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino, (2) ei plurimas gratias refert de Hecthesi Heraclii, quam ad se miserat, affirmans, per eam mirifice fidem communem confirmari. *Laetatus sum*, inquit, *super eiusdem lectione, atque consistentes mecum congratulans per laudabilem scriptorum expositionem, veluti solis splendorem nitentem, et veram, inconvertibilem, inviolabilem nostram fidem fixius, recteque, et apertissime praedicantem, gratiarum hymnos retuli.* Et tamen Heraclius in illa fidei expositione rigorosum silentium circa unam vel duas operationes servandum esse, omnibus praecipiebat. Sed noverat Sergius qui Hecthesim scripserat; noverat Cyrus, in cuius gratiam scripta fuerat, a quibus silentium indictum foret observandum. Ipsi enim tacere non poterant.

Ex his vero satis manifestam puto Sergii mentem, dum ab Honorio R. Pontifice tanto studio, tantaque malitia confirmationem silentii a se indicti impetrare studet.

Verum (quod secundo loco demonstrandum assumo,) in citata epistola Sergius dogma monotheliticum aperte profitetur atque defendit.

Imprimis enim, epistolae suae initio, affirmat, sententiam de una Christi operatione pertinere ad recta et immaculata Ecclesiae dogmata: *Recta at-*

(2) Secret. III sub fine.

que immaculata e diverso protulit dogmata; (Imperator) *inter quae et unius operationis Christi veri Dei nostri fecit mentionem.* Cum autem ipse fateatur se tenere Ecclesiae dogmata, et incedere iuxta tritam Sanctorum Patrum semitam, patet, ipsum unam in Christo operationem confiteri.

Secundo vero; silentio indicto circa unam, vel duas Christi operationes et voluntates; quam fidem ipse, quam Honorius, quam ceteri omnes praedicare debebant? Unicum, nempe, Filium Dei operatum divina et humana, et hanc duplicem ipsius Verbi operationem ad eumdem redigi, id est reduci et redire: *Magis autem (sicut sancta et universalia tradiderunt Concilia) unum eumdemque Filium Unigenitum Dominum Nostrum Iesum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina quamque humana, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise procedere, et ad unum eumdemque redigi.*

Quae verba non eo sensu esse accipienda, quasi operationes Christi in unitate personae divinae copularentur; vel quasi Verbum ageret utraque forma, seu natura, quin tamen humana activitate propria destitueretur (1); sed accipienda esse veluti si humana Christi natura per se nihil operari posset, et passive tantum se haberet ad Verbi divini motiones; suadet manifestissime comparatio, quam ad explicandum mysterium illud, e corpore humano Sergius desumit: *Quemadmodum*, inquiendo, *corpus nostrum regitur, et ornatur, et disponitur*

(1) Ut profecto contendebat Honorius in suo ad Sergium Rescripto.

ab intellectuali, et rationali anima nostra; ita et in Domino nostro, tota humana eius conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota Deimobilis erat. Humana igitur natura in Christo ita ad Verbum divinum se habebat, quomodo corpus nostrum ad animam. Atqui corpus nostrum ad animam passive se habet; ergo et humana Christi natura relate ad Verbum. Quemadmodum igitur actiones humanae proprie corporis non sunt, sed animae, veluti principii primordialis, vitalis, activi et intrinseci; ita actiones Christi humanae erant Verbi divini: et consequenter unica erat in Christo operatio, divina scilicet.

Qui Sergii sensus, etsi ex instituta comparatione e corpore humano ad animam desumpta, sat manifestus; elucet tamen ex eo etiam, quod paullo ante dixerat, admittendas, nempe, esse in Christo contrarietates circa idipsum, si in eo duae voluntates admittantur; quasi humana actu proprio divinae voluntati se submittere non posset: *Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes* (1).

Cum autem impossibile sit, ut Sergius argumentabatur, has repugnantes circa idipsum in Christo volunta-

(1] Hinc Monothelitae Christo tribuebant naturam humanam ea imperfectiorem, quam nos gerimus. Nos enim possumus divina gratia adiuti divinae in omnibus obsequi voluntati ; non potuisset vero idipsum humana Christi voluntas. Consequenter Monothelitae humanae Christi naturae libertatem adimebant. Cum autem absurdum et Deo indignum sit dicere, Deum Verbo suo imperfectam adeo aptasse naturam; convenientius fuisset praedicare cum Eutychianis unam naturam , quam duas, quarum humana esset voluntate et libertate destituta. Nil mirum hinc si istis monotheliticum dogma adeo arrideret. Eo enim concesso , necessario una in Christo erat concedenda natura.

tes reperiri, consequens erat ut in eo una esset voluntas.

Impossibile quippe est in uno eodemque subjacenti duas simul, et erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates (1).

Patet insuper sensus Sergii monotheliticus, ex quo paullo inferius fateatur, Patrum omnium doctrinam esse humanam Christi naturam numquam habuisse appetitum proprium, sed semper a Verbo actam motamque fuisse. *Salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeste instruit, quod numquam intellectualiter animata Domini caro separatim et ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit, sed quando et qualem, et quantam ipse Deus Verbum volebat.* Quae verba nedum de contrario motu, sed de quocumque naturali motu intelligenda esse, patet apertissime; si enim motum naturalem humana Christi voluntas non habebat, nullum habebat. Neque intelligendus est Sergius loqui de motu naturali contrario voluntati divinae, non vero conformi. Siquidem non negabat ipse, actiones hominis, quae di-

(1) In quo de cetero Sergius et monothelitae propriam imbecillitatem prodebant. Cum enim certissimum ex Evangelio sit, Christum clamasse: *Pater si fieri potest, transfer calicem istum a me;* nisi a voluntate humana, certe a divina haec oratio prodiit; proinde pugna circa idipsum extitisset in ipsa voluntate divina. Voluntas insuper divina Christi erat eadem cum voluntate Patris, et immutabilis. Unde ergo illud: *non mea voluntas, sed tua fiat,* si Christus voluntate humana carebat? Hoc in casu illud: *non mea voluntas* fuisset voluntas divina; nam ab aliqua voluntate verba illa prodierunt. Dixisset ergo Christus: voluntas mea divina non fiat. Ita Deus haereticos excaecat. Non me latet tamen, verba illa a Monothelitis sensu exclusivo fuisse accepta, ut inferius explicabo in defensione epistolarum Honorii.

vina gratia fiunt, liberrime tamen fieri. Si igitur negasset in Christo tantummodo motus naturales humanae naturae contrarios nutui uniti sibi Verbi secundum subsistentiam, non vero naturales motus conformes, Sergius admisisset activitatem humanae voluntatis in Christo, et sibi turpiter contradixisset.

Ex his vero satis patere arbitror, a Sergio in sua ad Honorium epistola dogma Monothelicum fuisse propugnatum. Qua de causa ad probandam epistolae huius incorruptionem gradior.

CAPUT IV.

DE RECITATAE EPISTOLAE SERGII AD HONORIUM INTEGRITATE

Atque hoc in capite polemicam contra doctissimum Feltriensem Episcopum instituam; quamvis plurima sim etiam allaturus, quae positivorum argumentorum vim habeant. Cum enim alicujus scripti corruptio sit factum, quod, documentis in medium productis, ab illo probari debeat, qui factum affirmat; (ad affirmantem enim spectat probatio) si semel demonstraverim, argumenta a Rmo Feltriensi Episcopo allata ejusmodi non esse, quae facile refutari non possint; jam probatum erit, Sergii ad Honorium epistolam corruptam a Monothelitis non fuisse.

Haec itaque est argumentorum summa, quae per citatum scriptorem afferuntur ad probandam corruptionem Epistolae Sergii ad Honorium.

1. Quod in disputatione S.Maximi cum Pirrho, huic loquenti de libello S. Mennae Archiepiscopi Constantinopolitani ad Vigilium Papam : *De eo quod una sit Christi voluntas*; atque affirmanti, Sergium scripsisse ad Honorium, praedictum Sermonem a Menna fuisse Vigilio porrectum; contradicat S. Maximus atque contendat, Sergium in obiecta epistola scripsisse Vigilium commonefactum quidem de libello fuisse , non vero ei porrectum. En verba utriusque : *Quomodo igitur*, inquit Pirrhus , *Vigilius tum Pontifex Romanus libellum a Menna Episcopo hujus urbis regiae oblatum qui unam voluntatem continebat* , *accepit* , *idque*

cum esset ei ostensus in secreto regio Imperatoris, qui tunc erat?

Cui S. Maximus ita respondet: *Admiror, quomodo Patriarchae cum sitis, audetis mentiri. Qui tibi antecessit*, id est Sergius, *in suis ad Honorium litteris scripsit: commonefactum quidem fuisse Vigilium de eo libello, non autem oblatum, nec ostensum; ipse vero in tua ad Joannem Papam Epistola dixisti, oblatum esse et ostensum.* Cum itaque, concludit citatus auctor, in epistola Sergii ad Honorium, juxta S. Maximum, haberetur, Vigilium de sermone a Menna confecto tantummodo commonefactum; in epistola vero Sergii, quae lecta est Actione XII. Concilii Sexti habeatur, Sermonem illum a Menna fuisse Vigilio porrectum; sat manifestum est epistolam illam fuisse a Monothelitis corruptam.

2. Idipsum probare nititur testimonio Ioannis IV. Romani Pontificis in sua pro Honorio Apologia, quam misit ad Constantinum Heraclii Filium triennio ab Honorii morte, defendens ea tantummodo Sergium ad Honorium scripsisse, quae a Ioanne narrantur. Porro Ioannis IV. verba, quae non semel referenda erunt, haec sunt.

Sergius Honorio Sanctae recordationis Romanae Urbis Pontifici significavit: quod quidam in Redemptore nostro Domino Iesu Christo duas contrarias dicerent voluntates. Quo praefatus Papa comperto, rescripsit ei: quia Salvator noster sicut esset monadicus unus, ita et valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus et natus esset... In dispensatione itaque sanctae carnis suae duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis

ipsius... Sed ne quis nonnumquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, et non etiam de divina Honorius dicere sciatur? Debet qui super hoc ambigit scire; quoniam ad hoc facta est responsio ad jam dicti Patriarchae interrogationem.

Hoc allato testimonio, ita doctissimus Antistes loquitur. (1). Ex quibus cognoscimus, epistolam illam, quae Sergii nomine lecta fuit in VI. Synodo, quamque nos exhibuimus totam fere adulterinam esse. Nihil enim de Cyro, nihil de Eutychianis ad Ecclesiam catholicam ab eo revocatis, nihil de una vel duabus Christi operationibus, nihil de duabus naturis divina et humana Sergius ad Honorium scripsit; sed voluntatis dumtaxat Sergius in sua epistola meminit.

3. Idem probare nititur ex quo adscribi non possint Sergio ea, quae de Sophronio habentur in numeris 7 10 11.; primo quidem, quia ea pertinent ad operationes, de quibus Sergius in epistola sua neque verbum protulit; deinde quia falsa omnino scripsisset, dum affirmabat a Sophronio nullum potuisse proferri testimonium Sanctorum Patrum ad probandum, duas esse in Christo dicendas operationes; cum « *duobus libris sexcenta testimonia Patrum ad evictionem impietatis Sergio et Cyro Sophronius exhibuerit* » ut testatur Stephanus Dorensis Episcopus in Secretario II. Concilii Lateranensis; tertio, quia scribere Sergius non potuit, Sophronium sibi assensum fuisse circa oeconomiam silentii servandi, cum hic postquam illum redarguerit, epistolam communicatoriam ad

(1) loc. cit pag. 106. 107,

Honorium miserit, in qua catholicam fidem contra Monothelitas egregie tuetur. Quarto demum, quia Cyri historiam illam, seu magis fabulam de Eutychianis ad Ecclesiam ab eo revocatis, de qua maxime celatum Honorium oportuit, ne fraudem praesentisceret, Sergius profecto non narravit, et tamen extat in epistola, quae Sergii nomen praefert.

Atque haec sunt argumenta omnia, quibus eruditissimus Episcopus probat Sergii Epistolam per Monothelitas fuisse corruptam, ut responderet Rescripto Honorii ab iisdem pariter corrupto.

Ut itaque, iuxta ingenii mei exiguitatem respondeam; si quis ab initio disputationis negaret, ut negandum esse inferius demonstrabo, epistolas Honorii fuisse a monothelitis corruptas, easque e contra genuinas et omnino integras esse defenderet; nonne universa eruditissimi Episcopi demonstratio corrueret, cum finis, cuius gratia corrupta epistola Sergii supponitur veritate qualibet destitutus appareret? Refutatio proinde haec inutilis fortasse alicui videri possit, cum ego dissertationis huius progressu integritatem epistolarum Honorii sim defensurus. Quoniam vero mihi hoc in capite multa dicenda occurrunt, quae eorum, quae infra disputaturus ero claritati inservire poterunt; hinc argumenta proferam, ex quibus integritas epistolae huius evincatur.

Et 1. Quandonam haec Sergii epistola corrupta fuit? Antequam Romam ad Honorium mitteretur, vel postea? At non fuisse corruptam antequam ad Honorium mitteretur certissimum est; primo quidem ex suppositione; cum ideo a Monothelitis corrupta dicatur, ut responderet Rescripto Honorii ab ipsis pariter corrupto; ergo monothelitae post ac-

ceptum a Sergio Honorii Rescriptum epistolam illius corrupere. Sed hoc praetermisso ; (nolo enim adversarii mei argumento abuti) non fuisse hanc Epistolam corruptam antequam eam Honorius legeret, satis manifestum puto, ex quo ipse Sergius eam scripserit, vel saltem subscripserit. Credibile enim ne est, Sergium, qui tantam in epistola illa humilitatem, et devotionem erga Romanam Sedem affectabat, voluisse ad primae Sedis Antistitem aliena manu scribere; vel ita aliena manu scribere, ut ipse epistolam manu sua neque subscribere dignaretur? Hoc a veritate, immo ab ipsa Sergii malitia alienum puto. At epistolas ad Romanum Pontificem clausas et Sigillo munitas mitti solitum fuisse, exemplo simili demonstro; ex epistola, nempe, quam Thomas Constantinopolitanus Episcopus scripserat ad Vitalianum Papam, quamque mittere non potuerat ob Saracenorum incursiones frequentes, quibus tunc temporis Graecia afflictabatur. Ita enim de ea dicitur Actione XIII. Concilii VI. Georgius Deo amabilis Diaconus, et chartophylax dixit : *Cum his* (cum aliis scriptis scilicet) *et authentica Synodica bullata, quae facta sunt a Thoma sanctae memoriae quondam Patriarcha ad Vitalianum sanctae memoriae quondam Papam Romanum, quae etiam volens ad eum dirigere, propter impiorum Saracenorum incursum assidue imminentem, ut nostis, et obsessionem, quae facta est per biennium, quo gessit episcopatum, non valuit dirigere.* Et paullo post. *Et accipiens Agatho religiosus lector et notarius sanctissimi Patriarchae Constantinopoleos Synodicum authenticum sanctae memoriae Thomae bullatum, et coram omnibus Bullam, quae in eo pressa fuerat, auferens,*

relegit, habens in superscriptione ita: Per omnia Sanctissimo, ac beatissimo fratri, et consacerdoti domino Vitaliano, Thomas indignus Episcopus in domino salutem.

Cum igitur eadem consuetudo Sergii tempore certe vigeret (1),cum ab ipsius Episcopatu ad illum Thomae nonnisi anni 33. effluxerint; (2) bullatam hinc et ipse dedit ad Honorium Epistolam; quomodo ergo illa corrumpi potuit, antequam Honorio traderetur? Deinde non puto tam audaces fuisse legatos, per quos Sergius epistolam ad Honorium misit, ut auderent Patriarchae sui litteras corrumpere, etsi potuissent. Nonne enim Sergius fraudem illico agnovisset, cum legeret Honorii rescriptum, in quo de Cyro, de duabus naturis, operationibus etc. loquebatur ad tramites receptae Epistolae, de quibus ipse ne verbum quidem protulisset, ut Rev. Feltriensi Episcopo videtur? His addendum puto, eos, quos misit Sergius Romam, fuisse viros probatae fidelitatis, et amicitia sibi conjunctissimos; qui insuper etiam sermone rem exponere debebant, et Romanum Pontificem impellere, ut Sergio morem gereret; hos autem voluisse audaces manus in Patriarchae sui epistolas mittere, quis umquam probabili coniectura affirmare poterit; cum praesertim sigillo Patriarchali carerent, quo fraudem admissam tegerent?

Facillimum autem est demonstrare epistolam Sergii non fuisse corruptam post acceptum ab eo Honorii rescriptum. Et 1°. ex corruptionis motivo.

(1) Superfluum puto hunc morem ex aliis etiam documentis demonstrare.

(2) Siquidem epistola Sergii ad Honorium scripta fuit anno 634; Thomas vero factus est Patriarcha an. 667; quo certe epistolam scripsit; cum ipse duobus annis Episcopatum gesserit, et post acceptam consecrationem Synodica haec mitti solerent,

Siquidem si Sergii epistola corrupta est, ut Honorii rescripto responderet a Monothelitis pariter corrupto, necessarium omnino erat corrumpere exemplar epistolae, quod asservabatur in Romanae Ecclesiae Tabulario; si enim integrum exemplar remansisset illud, timere Manothelitae poterant, ne admissa corruptio quam citissime deprehenderetur; cum dum epistola corrumpebatur, ut supponitur, quaestio in immensum iam excrevisset; et in huiusmodi de fide quaestionibus documenta omnia, quae ad rem faciant semper pervolutentur, et discutiantur. Quam Sergii epistolae corruptionem neque ipsi occidentales silentio praeteriissent, cum ea maxime conduceret ad purgandam Honorii fidem circa duas voluntates et operationes in Christo, quam fidem ab Honorio impugnatam Monothelitae et Orientales affirmabant.

Ulterius, haec Sergii epistola lecta est actione XII. Concilii VI. (1) Possibile autem ne est, ut a nullo deprehensa depravatio fuerit? neque ab ipso Georgio Constantinopoleos Patriarcha, qui Patres exoravit actione XVII. ne Patriarchae praedecessores sui nominatim anathemate percellerentur ob reverentiam certe Sedis Cptanae, quae maximo dedecore per illa anathemata nominatim facta afficiebatur? Utique et ego fateor Sergii epistolam lectam fuisse prius ex altero Macarii Antiocheni Episcopi codice, quem is Imperatori obtulerat, et Imperator per Joannem gloriosissimum Patricium Synodi Pa-

(1) Acta Concilii VI. corrupta traducuntur Monothelitarum fraude; at tantummodo relate ad ea quae in his de Honorio leguntur. An haec corruptio sit admittenda inferius expendam. Interea nullus me accusare potest, quod ex actis probem integritatem epistolarum Sergii ad Honorium.

tribus examinandum remiserat; sed fateor etiam allatum fuisse ex Archivio Ecclesiae Cptanae codicem authenticum, sive regestum epistolarum Sergii, et collatione instituta, nullam inter utrumque exemplar inventam discrepantiam fuisse (1).

Neque valde me movet, quod etiam in Archivio Ecclesiae Constantinopolitanae corrupti codices deprehensi sint; cum ex eo prolata sint duo exemplaria V. Concilii omnino interpolata (2). Nam 1°. quaenam est haec argumentandi ratio: In Archivio Patriarchae Cptani deprehensa sunt scripta, vel codices interpolati; ergo etiam epistola Sergii ad Honorium, aut fuit certo, aut saltem corruptam suspicari possumus? Nonne huiusmodi argumento quis impugnare posset cuiuslibet scripti integritatem? Si quis enim ita argumentaretur: In archivio Vaticano nonnulla sunt scripta, et nonnulli codices qui corruptionem haereticorum passi sunt; ergo etiam scripta, sive Regesta ex. gr. Benedicti XIV., Pii VII. etc. corruptionem passa sunt, aut saltem suspicari possumus ea fuisse interpolata et corrupta? Si quis, inquam, ita argumentaretur, nonne de authenticitate cuiuslibet codicis, aut scripti actum esset? Deinde vero; si corruptiones aliorum scriptorum deprehensae fuerunt, quomodo latuit corruptio epistolae Sergii ad Honorium? Fortasse ne Patres

(1) Ita enim legimus in actis. *Et accipiens Antiochus religiosus lector et notarius Georgii Sanctissimi Archiepiscopi Cptaleos codicem sive regestum diversarum epistolarum Sergii quondam Patriarchae Cpleos.* Et paullo post: *Item prolatus est alius codex, sive regestum habens epistolam Sergii quondam Patriarchae Cpleos ad Honorium quondam Papam Romanum. Et collata est cum codice, qui a Macario datus est piissimo principi, et constitit.* Act. XII.

(2) Id constat evidentissime ex actionibus III. et XII.

Orientales minoris intererat Sergii, quam Mennae aut Vigilii, quorum libelli apochryphi probati sunt? aut minorem diligentiam eos posuisse dicemus in investiganda depravatione epistolarum Sergii, quam aliorum? Hoc nullus dixerit, ne de frigidiori amore Georgium Patriarcham erga Sergium accusemus, vel de nimia negligentia in defendendo honore Sedis Cptanae.

Deinde vero. Libellorum Vigilii ad Justinianum Imperatorem, et Theodoram Augustam, insuper sermonis Mennae ad Vigilium, proprie corruptio non fuit; sed suppositio, et eorum interpolatio in actis Concilii V.; non quod proprie corrupta fuerint acta ipsa (1). At relate ad epistolam Sergii proprie dicta interpolatio locum habuisset, nempe substitutio majoris partis epistolae ipsius; cum si in ea defuissent quanta scribit Remus Bartholus, neque tertia pars epistolae Sergii genuina foret. Atqui tanta corruptio quomodo Patres Concilii latere potuit? quomodo ex ipsa caracterum diversitate agnita non fuit? quam diversitatem Patres in ceteris suppositiis documentis omnino considerarunt? (2) Hinc allatum argumentum in ipsos adversarios ita retor-

(1) Ista constant luculenter ex actione XIV., in qua dicunt Patres: *Cognovimus....adiectos quidem esse tres quaterniones in primo libro Sancti quinti Concilii in quibus videtur libellus, qui dicitur Mennae. Post haec et in secundo libro circa septimum actionem mutatum quidem fuisse quintum decimum quaternionem, adiectumque esse quadrifolium non superscriptum ante decimum sextum quaternionem, in quo feruntur duo libri Vigilii, qui dicuntur facti fuisse ad Justinianum, et Theodoram divae memoriae, utrisque nullam literam habentibus.*

(2) Siquidem de adiectis quaternionibus ad acta Concilii quinti haec leguntur actione III. Concilii VI. *Alias vero et dissimiles esse literas eorumdem in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennae ad Vigilium.*

queri posse censeo: Esto quod nonnulli codices delati ex archivio Ecclesiae Cptanae interpolati per haereticorum fraudem inventi sint; at alii etiam allati sunt ex eodem archivio, qui omnino integri et incorrupti erant, et ex quibus ceterorum corruptio probata est. Si itaque ex quo nonnulli codices interpolati, vel corrupti inventi sunt, sequitur corruptam per Monothelitas Sergii epistolam fuisse; a pari integra, et incorrupta erit haec Sergii ad Honorium epistola, quod ex archivio ecclesiae Cptanae multi codices allati sint omnino integri et incorrupti.

Ulterius. Si corruptio et interpolatio aliorum codicum, collatione instituta, detecta a Patribus VI. Synodi fuit, cum vero epistola Sergii lecta ex Macarii codice conferretur cum regesto authentico Epistolarum Sergii ipsius, quod ex Archivio Patriarchae in aulam Conciliarem delatum fuit ipsorum Patrum jussu, nullus sive de fraude, sive de corruptione questus est, nonne sequitur hanc Sergii ad Honorium Epistolam integram incorruptamque omnino fuisse? Si, inquam, quis ita argumentum retorqueret, quid respondere possent qui corruptionem epistolae hujus propugnant? Fortasse ne, illam epistolam jam fuisse corruptam, atque Macarium ex Archivio Patriarchae in suum codicem Imperatori oblatum ita transcripsisse? At imprimis hoc ipsum esset ab adversariis probandum. Sed esto. Difficultas manet. Quomodo enim fieri potuit, ut corruptio illa non deprehenderetur, cum aliorum scriptorum deprehensa sit? Fortasse ne unicum exemplar epistolarum Sergii existebat? De cetero cum exemplar allatum ex Archivio ad Patres Concilii omnino authenticum dicatur, ut ex supra citatis documentis patet, difficultas ruit. At hoc praetermisso: vel integra Sergii Epistola in Regesto

supposita fuit, scilicet, exemplar authenticum sublatum quidem, et apographum substitutum; vel addita epistolae genuinae ea omnia quae addita traducuntur. Si hoc postremum: quomodo non innotuit corruptio, cum additiones omnes ad marginem fieri debuissent? (impossibile enim erat in corpore epistolae genuinae ea omnia scribere quae addita putantur, cum additiones, ut dixi, triplo majores epistola authentica essent,) quomodo literarum figuram adeo imitari corruptor potuit, ut neque suspicionem admissae fraudis relinqueret? et quomodo patres saltem fraudem suspicati non sunt, cum tot, tantaque addita viderent? Si primum; id est, si authographum quidem sublatum e Regesto fuit, substitutum vero apographum; quomodo id non cognoverunt ex numeris, quibus quaterniones codicum numerabantur? Impossibile enim erat, ut numeri responderent, cum tot ac tanta genuinae epistolae Sergii addita fuerint, ut unum folium ea capere certe non posset; (1) cum e contra epistola genuina Sergii adeo brevis fuisset, ut duas paginas non excederet, si deerant ea omnia, quae defuisse arbitratur Remus Feltriensis Episcopus. Et hoc, ut alia indicia praeteream, ex quibus fraus quaelibet in dijudicanda codicum integritate et genuinitate omnibus praesto sunt; praecipue cum ex instituto, et sedula attentione de re quaeritur. At Georgium Constantinopolitanum Antistitem modis omnibus certiorem fieri voluisse de rei veritate, et idem de ceteris Patribus

(1) Epistola Sergii, qualem nunc eam habemus, et qualis lecta est Act. XII, Concilii. VI. excedit quatuor columnas in folio, ut videre est apud Labb. Collect. Concil. edit. cit; cujus characteres deinde minuti sunt potius, quam grandes.

dicite, ex actis Concilii evidentissime constat. Cum itaque, ideo e Patriarchae Tabulario codices afferrentur, ut fraus omnis e medio pelleretur; atque de cetero nullus de fraude aliqua questus sit, cum epistola Sergii ad Honorium cum authenticis codicibus conferretur; duo sequuntur; et exemplar allatum ex Archivio Patriarchae authenticum omnino fuisse; et epistolam Sergii etsi a Macario oblatam fuisse omnino incorruptam (a).

Eja tamen. Si tam foede haec Sergii epistola

(a) Vivente Sergio, hanc epistolam fuisse corruptam difficillimum puto; cum, nonnisi ipso vidente et probante, fraus admitti potuerit. Etiamsi enim ipse silentium ab Honorio impetraverit, tamen neque a Monothelitis, neque consequenter a catholicis, saltem generatim, fuisse servatum, patet, ut alia documenta praetereuam, quod ab illa die ad Concilium VI. quaestio non quieverit. Quare tum Sergii, tum Honorii epistolae omnium manibus versari oportuit, ut in ejusmodi quaestionibus contingit. Non potuit igitur Sergii epistola corrumpi, quin illico ipse fraudem agnosceret, et de ea quereretur, praesertim cum, ut arbitràtur doctissimus Bartholus, vellet apud Romanum Pantificem latere. Quis insuper tam audax fuit, ut sub Patriarchae Cptani oculis corrumpere ejus ad Rom. Pontificem epistolam auderet? Et quomodo deinceps factum est, etiam post Sergii nortem, ut exmplar corruptum, et non genuinum in Archivio reponeretur? authenticum enim exemplar apud Sergium remansisse certissimam rem habere debemus, ne dicamus, eo vivente jam in Archivio Patriarchàli repositum, ut fieri solet. De cetero, cum ipse in Epistola ad Honorium unam voluntatem, et unam operationen, etsi aliis verbis, professus sit; deerat Monothelitis etiam finis epistolae corrumpendae, ut paucis, rem expediam. Non nego tamen viventibus etiam auctoribus, scripta corrupta fuisse: id, ut alios praetermittam, luculenter probavit factum esse circa Magni Origenis opera doctissimus Aloysius Vincenzi Romanae decus Universitatis; at neque inficior, id factum fuisse cum impostores sperabant futurum ut fraus lateret, et de facto fraudem fuisse detectam omnibus notum est. Quare idipsum non contigit circa hanc Sergii Epistolam cum in Concilio 170 circiter Episcopi fraudem quaererent?

corrupta est, ita ut ei sint addita, quanta dicuntur; corruptionis auctor adeo valens fuit, ut stylum Sergii apprime calluisse putandus sit. Si enim hujus epistolam ad Cyrum expendamus, et conferamus cum Epistola, quam ad Honorium scripsit, omnino deprehendemus utriusque unum eundemque auctorem esse Sergium; ni dicere velimus, impostorem et epistolam ad Cyrum corrupisse, ut haec concordaret cum epistola Sergii ad Honorium. At tunc quo abibimus?

En vero epistola Sergii ad Cyrum, quae lecta est Actione XII. ante illam, quam ad Honorium dedit.

« Apparuit quidem nobis statim et a primo « experimento vehementia et sedulitas sensus Deo « amabilitatis vestrae, nunc autem multo amplius « per haec, quae scripsit, solertiam ejus atque « diligentiam addidicimus. Insinuans quippe rele« gisse divinam jussionem fortissimi et a Deo « conservandi nostri Imperatoris ad Arcadium re« verendum praesulem insulae Cypri contra Pau« lum priorem maligni coetus acephalorum, et « invenisse praedictam piam jussionem prohiben« tem duas in Christo Deo nostro dicere opera« tiones. Interrogavit nos per notionem suam, « utrum oporteat duas praedicare operationes, an « unam dicere in Domino operationem. Unde nos « simplici et compendioso sermone utimur, et quae « nostrae sunt scientiae perhibemus. Asserimus « igitur, quod in sanctis quidem magnis et uni« versalibus conciliis nulla de hoc motio facta est, « nec invenire est de hujusmodi quaestione dif« finitionem quamlibet esse prolatam a quodam « orthodoxorum conciliorum.

« Nonnullos vero probabilium patrum scimus,
« et praecipue sanctissimum Cyrillum Alexandriae
« Archiepiscopum, in quibusdam scriptis suis unam
« vivificam operationem Christi veri Dei nostri
« dicentem; sed et Mennas sanctae memoriae quon-
« dam Archiepiscopus a Deo conservandae huius
« regiae urbis sermonem composuit acclamatum
« ad Vigilium quondam Sanctissimum Papam anti-
« quae Romae, in quo et ipse simili modo unam
« voluntatem, et unam magni Dei, et Salvatoris
« nostri Iesu Christi operationem adstruxit. Et ut
« prudentissima vestra diligentia relegens vigorem,
« qui in eo continetur, agnoscat, necessario prae-
« fatum sermonem transcribi fecimus, subnecten-
« tes testimonia diversa ad stabiliendam proposi-
« tam intentionem, et hunc una cum nostris li-
« teris ad eam destinare praecepimus. Quoniam
« igitur asseruit vestra Reverentia, Leonem san-
« ctissimum Papam Romanum in eo, quod dicit:
« Operatur enim utraque forma cum alterius com-
« munione, duas operationes in Christo vero Deo
« nostro tradere, atque praedicare; oportet scire,
« quod multis ex impio schismate maledicti Severi
« adversum pietatis dogmata decertantibus, et adver-
« sum praedicti egregii Patris epistolam latranti-
« bus, quae commune revera rectae fidei funda-
« mentum existit, diversi probabilium catholicae
« Ecclesiae doctorum ad iustam et veram advoca-
« tionem praedictae epistolae assurrexerunt; et nul-
« lum horum scimus dixisse, quod in praesenti li-
« bro duas operationes Leo sanctissimus asseruis-
« set.... Si quis vero de solertioribus ostendere va-
« luerit, quemquam probabilium, et a Deo inspi-
« rabilium patrum nostrorum, quorum dogmata

« catholicae adstruunt Ecclesiae, duas operationes
« in Christo dicere tradidisse, opportunum est per
« omnia sequi. Omnino enim necesse est, non so-
« lum secundum sensum sequi sanctorum Patrum
» dogmata, sed et eisdem vocibus uti cum illis,
« nihilque penitus innovare.

Si quis igitur haec, quae Sergius scribit ad Cyrum, conferat cum iis quae reperiuntur nn. 1. 2. 3. et 4. epistolae ad Honorium, nonne deprehendit eamdem historiam, easdem sententias, eumdem stylum, eumdem loquendi modum et fere eadem verba; ita ut impossibile sit diversum a Sergio auctorem cognoscere? Conferatur insuper ea Sergii ad Cyrum epistola, quae lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino Secretario III; et praecipue haec verba conferantur; *Atque eumdem unum Christum operari Deo decibilia et humana una operatione, quia omnis divina et humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat.* Nonne haec identica sunt cum iis quae ad Honorium scribit? Nemo igitur rationabiliter defendere potest, scripta non fuisse a Sergio ea, quae circa Cyrum habentur in Epistola ad Honorium, cum stylo prorsus eodem habeantur in hac eius ad Cyrum epistola. Nunc ad difficultates propositas ab eruditissimo Episcopo.

Et quoad primam petitam ex disputatione S. Maximi cum Pirrho, me expedire possem dicendo, verbum illud *commonefactum Vigilium* de libello Mennae, substitutum vocabulo *porrectum*, Amanuensium incuria, ut non semel contigit, praesertim in graeco idiomate, quo exarata fuit epistola Sergii.

(1) Quis insuper nesciat S. Maximum, quando disputationem cum Pirrho in Africa egit, ea quae de Sergii epistola dixit, memoriter recitasse? Et neque Pirrhum obstitisse, neque S. Maximum ex codice aliquo allato rem suam confecisse? (2) De cetero haec tam levia sunt, ut omnino ex immutatione verbi illius, quod fortuito prorsus evenire potuit, malitiosa depravatio epistolae non defendatur. Nonne enim in ipsis Sacrorum Bibliorum codicibus similes variantes inveniuntur? Et tamen quis unquam defendet Biblia fuisse corrupta?

Verum etiamsi semper praeferendam esse putem S. Maximi auctoritatem supra Monothelitas quoscumque; tamen, pace S. Martyris dicam, standum hac in quaestione censeo Pirrhi potius auctoritati, quam ipsius; qua in re injuria ipsum non afficio, cum de quaestione critica agatur, in qua memoriae lapsu potuit ipse errare, sicut alius homo quicumque. At dices: S. Maximus certo certius epistolam Sergii ad Honorium legerat. Utique. Sed certo certius legerat etiam Pirrhus. Cum itaque ambo errare potuerint, ut de vera lectione certiores fiamus, ex aliis documentis rem esse dirimendam arbitror. Dico igi-

(1). Id patet, et quod in Macarii codice graece haberetur, et quod epistola Sergii lecta in Codice ex Archivio delato graeca esset, et sine interpretatione latina. Nam cum actum est de Epistola 1. Honorii, quae latino idiomate scripta erat, dicitur: *prolata est epistola authentica latina Honorii una cum ejus interpretatione.* Actione XII. Item de altera dicitur Action. XIII. *Et prolata est Honorii latina epistola cum interpretatione sua.* Si latina lingua scripsisset Sergius, quare idipsum dictum non est? vel quare dictum saltem non est, haberi in eodem codice interpretationem latinam?

(2). Haec constant ex ipsa disputatione S. Maximi cum Pirrho. Migne Patrol. Graec. vol. 91 Col. 327.

tur: verius Sergium scripsisse *porrectum pro commonefactum*.

Et 1°. quidem ex suppositione doctissimi Episcopi, qui ideo vult a Monothelitis intrusum fuisse verbum *porrectum*, ut etiam Vigilius ut Monothelita traduceretur, et condemnaretur (1). Hinc cum Sergius fuerit putidus Monothelita, atque etiam Vigilii nomine vellet haeresi suae auctoritatem conciliare, facilius probabiliusque scripsit *porrectum* quam *commonefactum*; cum si ille Mennae Sermo reapse a Vigilio receptus fuit, videri posset probasse unius voluntatis et operationis vocabulum, non autem si de eo fuisset solummodo commonefactus. Hoc enim in casu assensus Vigilii in haeresim nullimode probabatur. Quam meam observationem nullo modo respuere Remus Episcopus potest, cum pag. 73. suspicetur, ab ipso Sergio Mennae sermonem fuisse suppositum; quod nec ego a veritate alienum puto (2).

(1) Apologiae Cap. XII. pag. 195. Edit. cit.

(2) *Non levis porro suspicio est*, inquit, *consulto ab inquisitione abstentum, ne sceleris huius architectus proderetur, qui non alius sane, quam Sergius Cptanus Episcopus fuisse videtur Monothelitarum signifer. Ille enim primus librum hunc Mennae memoravit cumque semper in ore ferebat, atque huc illuc missiculabat, Nam et ad Theodorum Pharanitanum et ad Paulum monoculum illum misit; ut sanctus Maximus in disputatione cum Pirrho testificatur; et Cyro eumdem tradidit, et in epistola ad Honorium ipsum laudavit. Profecto quin a monothelitis liber ille confictus fuerit nemo negaverit, cum ad eorum haeresim tuendam fuerit fabricatus. Atqui ex monothelitis Sergius primus illum protulit, qui et haeresis illius veluti alter parens cum Theodoro Pharanitano extitit: igitur non ab alio, quam a Sergio confictus fuisse videtur. Et hoc in causa fuit, cur Graeci, illique praecipue, qui Ecclesiae Cptanae subiecti erant, praetermittendam curaverint de libri huius suppositione inquisitionem; ne nova scilicet infamiae nota Sergio inureretur.* Suspiciones sane gravissimae, quae fere rem demonstrant.

2. Si in aliqua sententia affirmanda auctor quilibet constans sibi est; arbitrari debemus, Sergium de libello Mennae ad Honorium scripsisse, sicut in aliis suis epistolis eum de libello eodem scripsisse novimus; atqui in epistòla supra citata ad Cyrum diserte affirmat, hunc sermonem a Menna acclamatum Vigilio fuisse; et proinde oblatum et ostensum: *Sed et Mennas sanctae memoriae*, inquit, *quondam Archiepiscopus a Deo conservandae huius regiae Urbis sermonem composuit acclamatum ad Vigilium quondam sanctissimum Papam antiquae Romae etc.* Verior igitur Pirrhi lectio quam S. Maximi putanda est.

3. Idipsum ex libelli titulo aliquomodo apparet, ut mihi videtur. Siquidem inscribitur: *Sermo sanctae memoriae Mennae Archiepiscopi Cpleos ad Vigilium beatissimum Papam Romanum; de eo quod una sit Christi voluntas.* Qui titulus recitatum potius coram Vigilio sermonem a Menna fuisse indicat, vel ei dicatum, oblatum, et ostensum, quam Vigilium de eo commonefactum, ut affirmabat S. Maximus Sergium ad Honorium scripsisse; quod de cetero ex mente illius, qui sermonem composuit, certissimum haberi debet, ut ex prima observatione constat.

4. Quibus addendum puto, ab eo, qui sermonem supposuit, interpolatum fuisse inter Acta Concilii V. At quis nescit in Actis Concilii ea tantummodo referri quae oblata sint ostensa et publica? (1). Si igitur rem ex impostoris, qui sermonem com-

(1). Id ipsis Legatis Agathonis persuasum fuit, qui propterea dum Actione III. epistolae huius titulus legeretur, illico exclamarunt: *Piissime domine falsatus est praesens liber quintae synodi; iube diligenter advertere praesentem librum; satisfieri enim*

posuit, intentione dirimere velimus, ut esse dirimendam censeo, certo certius Sergius *porrectum* scripsit, et non *commonefactum*. Sed de hac difficultate satis.

Nihil pariter evincit alterum argumentum a Reño Episcopo desumptum ex Apologia Ioannis IV. pro Honorio. Siquidem non dicit Ioannes, Sergium scripsisse ad Honorium tantummodo, *quod quidam dicerent in Redemptore Nostro Domino Iesu Christo duas contrarias voluntates*; quod vir doctissimus probare deberet, et non probat; sed id Ioannes recenset prae ceteris, quae praetermittit. Volebat scilicet Honorium ab haeresi purgare, et ab illa accusatione, quam ei monothelitae inferebant. Nemo autem non novit, Monothelitas abusos fuisse Honorii nomine ad adstruendam unam in Christo voluntatem, (2) arreptis verbis epistolae

habet piissimum vestrum imperium, quia non est tunc temporis positus in exordio cum fierent acta in sancta V. synodo, iste qui dicitur sermo Mennae ad Vigilium. Vides ergo Legatorum argumentum: Si, nempe, sermo iste genuinus esset, excipiendus erat a Notariis, vel saltem reponendus in Actis, dum Acta ipsa fierent in sancta V. synodo. At vero, dicunt legati, Menna tunc mortuus erat, eique Eutychius successerat; non potuit igitur Mennas hunc sermonem coram Vigilio recitare, neque proinde in Actis transcribi, vel a Notariis excipi.

(2). Id constat inter ceteros ex Pauli Cptani Patriarchae Epist. ad Theodorum Papam, quae lecta est Secret III. Concilii Lateran. sub Martino, in qua postquam dixerit: *Unde et unam voluntatem Domini Nostri Iesu Christi intelligimus*; atque multa de pugna voluntatum disseruerit, concludit, Sergium et Honorium hanc tenuisse fidem: *Quibus concordantes et consonantes facti sunt piae memoriae Sergius et Honorius*. Et ut verum fatear, ego nullum novi Monothelitam, qui ante Concilium VI. affirmaverit, ab Honorio, saltem directe et explicite, fuisse negatas duas operationes in Christo; sed duas tantummodo voluntates. Sed id fortasse oritur ex quo non omnia documenta prae oculis habuerim.

eius primae ad Sergium: *Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*; non autem abusos auctoritate eius ad defendendam in Christo unam operationem, cum super eiusmodi vocabulo rigorosum silentium indixerit. Cum itaque sententiae Honorii, qua Monothelitae abutebantur, responderent de tota Sergii Epistola verba paullo supra posita, ea Ioannes recensuit, quin tamen alia excluderet. Argumentum deinde doctissimi viri summopere nutat etiam ratione criticae. Si enim ex. gr. S. Agatho arrepta Pauli Constantinopolitani Epistola supra citata, scripsisset ad Georgium Patriarcham: *Paulus Patriarcha Theodoro hujus Urbis Episcopo scripsit: se et Synodum suam intelligere unam voluntatem Domini N. I. Christi ne contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personae applicari videretur*; sequeretur ne ex hoc, id tantummodo Paulum scripsisse, nil aliud praeterea? Profecto qui eiusmodi ratiocinia proponeret, aut nihil evinceret; aut si aliquid, evinceret etiam, quod cum quis de aliquo alicuius haeretici scripto unum vel aliud testimonium citat, illud tantumodo ab homine haeretico fuisse literis exaratum. Quae quis admittit?

Ex his vero patet solutio ceterarum difficultatum. Siquidem, si Ioannes IV. non omnia recensuit quae Sergius ad Honorium scripsit, nulla ratio est quare negari possit cetera a Sergio scripta fuisse, quae versantur circa operationes, Cyrum, duas naturas etc.

Attamen directe respondeo. Sergium Honorio aperuisse quaestionis statum ex eo deduco, quod ad Romanum Pontificem scriberet, qui certior faciendus erat de dissidii illius occasione et origine,

ut nascenti malo consulere posset (1). De cetero quaestio illa adeo coniuncta cum origine, occasione, et auctoribus erat, ut horum historiam Sergius praetermittere non potuerit. Si enim aliquid decernere voluisset Honorius, et ad partes discordantes scribere, ad quos scripturus fuisset, cum nesciret quinam inter se decertarent? Credibile ne est, a Sergio expositam quaestionem fuisse, et non quaestionis auctores? At ipsemet scripserat, (id saltem Remus Episcopus non negat) insurgenti malo consulendum esse silentii praescriptione; cui ergo silentium praescripsisset Honorius, ni eos nosset, qui inter se de dogmate decertabant? Nonne hic Sergium ut imbecillem traduxisset talem epistolam scribentem, ex qua nil percipere posset, et perinde neque malo occurrere?

Ulterius. Timuisse Sergium ne ab aliquo alio Honorius de re moneretur, praesertim a Sophronio, quem noverat Hierosolymorum Episcopum creatum, quis unquam dubitaverit? (1) At e contra voluisse sibi, Cyro, et errori suo consulere, nullus unquam pariter in dubium revocabit. Debuit ergo de Cyro,

(1) Patriarchae omnes orientales dum alicuius haeresis exortae notitiam ad Romanae Sedis tribunal trasmittebant, originem semper, et occasionem haeresis exponebant. Legantur epistolae Cyrilli ad Coelestinum de exorta Nestorii haeresi; tum illae Flaviani ad S. Leonem circa Eutychianum dogma, ut alia exempla praeteream: et quisque rem hanc evidenter agnoscet.

(1] Siquidem, etsi illa haeresis a variis annis exorta fuisset; tamen nihil unquam ad Romanum Pontificem scripserat Sergius. At electo Sophronio in Patriarcham Hierosolymitanum timere pro re sua coepit; noverat enim ab eo mittendam esse epistolam communicatoriam ad Romanum Pontificem cum fidei professione. Quare ut illi obsisteret, et sibi consuleret, vix nuntio accepto de Sophronii electione, ad Honorium literas dedit.

de Sophronio, et de quaestionis origine et statu loqui.

Quibus praemissis. Si semel constiterit, ante illud tempus, quo Sergius ad Honorium literas mittebat, exortam quaestionem fuisse praecipue de una in Christo operatione dicenda, nonne sequetur de hac absolute Sergium debuisse ad Honorium scribere? At id facillimum est demonstrare; primo quidem ex epistola I. Cyri ad Sergium, quae lecta est actione XIII. Synodi VI., in qua inquit: « *Ad vero a Deo eruditam vestram sapientiam confugere didici, venerabiles eius Syllabas postulans promereri, liquidius declarantes, qualiter duas operationes post unitionem dicere recusantes, in una, id est singulari operatione, in omnibus divinis eloquiis possumus concludere, tam quod passibile, quam quod impassibile est ipsius ineffabilis dispensationis Salvatoris Nostri Iesu Christi.* Deinde vero ex satisfactionis initae cum Theodosianis exemplari, quod Cyrus ad Sergium miserat (2), cuius capitulum VII. diserte unam operationem in Christo adstruit huiuscemodi. *Si quis unum Dominum Nostrum Iesum Christum...non confiteatur...operantem Deo decibilia et humana una Deivirili operatione, secundum Sanctum Dionysium, sola contemplatione discernens ea, ex quibus unitio facta est; anathema sit.* At S. Sophronium tunc Monachum Cyro talia cum Theodosianis paciscenti et praedicanti adversatum, constat evidenter ex suggestione Stephani Dorensis Episcopi ad Romanam Synodum, quae, ipso praesente, lecta est Secretario I. Concilii Lateranensis sub Martino, in qua

(2) Habetur actione XIV. Concilii VI.

haec de Sophronio dicit: *Quippe nam et ipse, dum adviveret, superius dictis temeratoribus in Oriente validissime contradixit, contestans eos et admonens, ut a propria haeresi quiescerent, et ad rectam Patrum fidem remearent.*

A Sergio igitur haec omnia silentio premi non poterant, cum publica essent; sed tantummodo ita narrari, ut Sophronio quidem irasceretur Honorius, quasi Ecclesiae pacem turbaret; ipsum vero laudaret, quod studio fidei et pacis servandae incensus videretur. Hinc si eum negemus, Romanum Pontificem de unius vel duarum operationum controversia certiorem fecisse, dicimus tacuisse illum quaestionis originem et statum; quod repugnat ipsius Sergii malitiae, qui epistola sua volebat propugnato errori patrocinium quaerere. Quin imo in suspicionem Honorii venire potuisset, quod alterutri parti faveret, cum praetermiserit sincere rem enarrare.

Non perpendit porro vir doctus, nec vidit malitiam astutissimi Sergii in eo quod affirmavit, nullum a Sophronio proferri potuisse Patrum testimonium, quo probaret duas esse in Christo dicendas operationes. Non enim negat Sergius prolata a Sophronio testimonia Patrum; sed negat eiusmodi prolata esse, in quorum saltem aliquo expressis verbis diceretur: *Duae sunt in Christo operationes, humana scilicet, et divina.* Hic est sensus verborum Sergii, quibus et malitiam suam celabat, et veritatem dicere videbatur. Fortasse Sophronius nullum attulit testimonium, quo *ipsis verbis* duae in Christo operationes dicerentur; quae certe non adeo frequenter occurrunt (1). Fortasse etiam mentitus

(1) Reapse si legamus omnia illa testimonia, quae circa duas operationes oblata sunt a Legatis Agathonis; et lecta, et collata

est. At etiamsi mentitus sit, non sequitur, illam silentio praeteriisse sententiam, cum haeretici plerumque, ne dicam semper, mentiantur; scrupulis enim non anguntur haeretici. Sed a prima sententia non esse recedendum arbitror; quae de cetero confirmari potest, ex quo Sophronius nedum de duabus operationibus, sed etiam voluntatibus testimonia multa Patrum certe protulerit. At noverat perfidus monothelita, plurimos reapse Patres in Christo affirmare *nominatim et ipsis verbis* duas voluntates (1); atque hinc praetermisit de hisce testimoniis loqui, recensita tantummodo Sophronii impotentia in recitando aliquo Patrum testimonio, quo *nominatim et ipsis verbis* duae in Christo operationes affirmarentur. Fortasse Sergii fraus latet sub illis verbis « *postremo adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter doctores confitemur, et quorum dogmata legem Sanctae Dei agnoscunt Ecclesiae*; intelligendo Patres, et Doctores primae classis, sive ordinis, ut nos dicimus, reliquis omnibus spretis; et reapse Sophronium nullam ex illis proferre potuisse sententiam, qua *nominatim et ipsis verbis* duae ope-

cum authenticis Codicibus actione X. Concilii VI., tria tantummodo occurrunt, quibus ipsis verbis duae in Christo operationes dicantur. Scilicet testimonium S. Joannis Chrysostomi, quod habetur pag. 816. Lab. Edit. cit. « Haec audiens purgavi « animam a perfidia....et duas per hoc operationes sensi; » testimonium S. Ephraemii Antiocheni Episcopi, pag. 825 « Ergo « et hic sunt duae operationes; » et testimonium S. Anastasii Antiocheni Patriarchae, pag. 828. « Ergo duae quidem opera« tiones, quaemadmodum et substantiae ».

(1) Id constat evidenter ex testimoniis Patrum lectis in cit. act. X. ante testimonia de duabus operationibus.

rationes dicerentur; quae mea suspicio, attentis Sergii verbis, certe fundamento non caret. Siquidem Chrysostomum, Cyrillum, Athanasium etc. communiter tum Latina tum Ecclesia Graeca Patres et Doctores venerabantur; non vero aut Ephraemium, aut Anastasium Antiochenos. Quis autem affirmare potest, illud Chrysostomi testimonium prolatum a Sophronio fuisse? Nemo igitur affirmare pariter poterit Sergium, sensu quo scribebat, fuisse mentitum.

Quare autem ipse loqui non debuerit de illa Eutychianorum ad catholicam Ecclesiam conversione per Cyrum effecta, ego non intelligo. Siquidem Sergius originem et statum quaestionis aperiebat Honorio; illam vero Eutychianorum apparentem conversionem in causa fuisse, cur quaestio de una, vel duabus in Christo operationibus ad summum excresceret, nemo non novit; cum exinde Sophronius malo insurgenti sese opposuerit et dictis et factis, et quaestio deinceps numquam quieverit. Neque dici potest hac in conversione narranda Sergius fuisse mentitus, cum ea scriptis retulerit quae a Cyro acceperat in eius secunda epistola, quae lecta est Actione XIII. Synodi VI. *Notum enim facio*, inquit Cyrus, *quod omnes qui dicuntur dogmatis Theodosianorum circa hanc Alexandrinorum Deo amabilem civitatem clerici, una cum his, qui in dignitatibus et exercitibus clarent; insuper et qui ex plebe sunt in millibus constituti, per tertiam Iunii mensis adunati Sanctae nostrae catholicae Dei Ecclesiae, intemerabilia nobiscum mysteria perceperunt, ad hoc adducti praeviante profecto beneplacito Omnipotentis Dei per collatam mihi doctrinam tam a*

piissimis nostris Dominis, (1) *quamque a Deo inspirata Domini mei Sanctitate, ut per hoc stabiliretur secundum quod scriptum est: In confrequentationibus dies festus usque ad cornua altaris.* (2) *Si autem oportet veracius dicere, non in confrequentationibus tantum, neque usque ad cornua altaris, sed et in omnem Alexandrinorum Deo amabilem civitatem, ejusque confinia usque ad nubes ipsas, et ultra has coelestibus ordinibus in pace sanctarum Ecclesiarum, et in his qui ad eandem convertuntur, laetantibus.*

Haec itaque Cyrus ad Sergium certissime scripserat. Cum autem hi ipsi sensus reperiantur in epistola Sergii ad Honorium, patet, eum monuisse Romanum Pontificem de hoc Eutychianorum ad fidem reditu, et de cetero non fuisse mentitum, cum ille non dicatur mentiri, qui in alterius fide aliquid affirmat. Neque aliquam difficultatem facessit quod asserit Feltriensis Episcopus; debuisse scilicet Sergium, hanc conversionem silentio praeterire, ne Honorius fraudem suspicaretur.

Quomodo enim hic fraudem poterat suspicari, cum apud ipsum Sergius vir plane catholicus et probus haberetur, quia nullus adhuc eum sive de haeresi, sive de alio quovis crimine accusaverat; atque de cetero tanta animi modestia, et tanto fidei zelo scribere videbatur, ut neutiquam Pontifex Romanus suspicari potuerit vel ipsum mentiri, vel fraudes parare? Ex qua postrema consideratione potius affirmandum arbitror, omnino a Sergio conversionem illam Eutychianorum fuisse

(1) Vide pessimum adulatorem! A Regibus ne accipere debent Episcopi doctrinam fidelibus praedicandam?
(2) Psalm 117 v. 26.

patefactam ; siquidem finis , quem praecipue sibi praefixerat, fuit ut retineretur capitulum VII. de una operatione, quod Cyrus cum Theodosianis sanciverat, ut inde haeresi suae fomentum et stabilitatem quaereret. Ad id vero summopere conducebat narrare, et verbis amplificare illam Eutychianorum cuiuscumque sectae ad fidem catholicam conversionem, ut deinde concluderet, abrogari non posse capitulum illud VII. ne simul tot haereticorum ad Ecclesiam reditus in irritum deduceretur ; qua de causa alienum fuisset a Sergii intentione hanc conversionem silentio praeterire, non autem eam commemorare, et non vulgari eloquentia exornare.

Nescio vero quanti habenda sit illa ratio a doctissimo Episcopo, postremo loco adducta; non potuisse, nempe , Sergium scribere ad Honorium de assensu Sophronii circa silentium servandum, cum hic paullo post epistolam ad Romanum Pontificem dederit, qua fidem catholicam contra Monothelitas egregie tuebatur. In quo argumento , ut ingenue dicam, desideratur consequentia. Nam: Sophronius non observavit silentium circa duas , vel unam operationem Christi; ergo illud non promisit. Quaero: conclusio sequitur ne ex antecedenti? nonne multa fiunt promissa, quin tamen opere compleantur?

At respondeo 2. Silentium a Sophronio minime absolute promissum fuisse ; sed ea conditione, ut etiam Cyrus circa unam operationem illud servaret. At observatum fuisse a Cyro praescriptum silentium omnino falsum est; nil mirum proinde si neque a Sophronio fuerit observatum, cum ex ipsa promissione illud servare non teneretur.

Dico vero 3. diversa ratione judicandum esse de Sophronio Monacho ac de Sophronio Episcopo

et Patriarcha. Primo enim Sophronius ad Romanum Pontificem scribebat, coram quo fidem suam exponere debebat; a cujus expositione nulla silentii servandi lege prohibebatur, etiamsi silentium promiserit; imo ex Ecclesiae lege quamcumque exorientem haeresim ei manifestare compellebatur, cum haeresis esset una e majoribus causis judicio Sedis Apostolicae reservatis. Illa insuper fidei expositio non erat infractio silentii promissi, praecipue cum nullum accusaret, neminem redargueret: 2. Sophronius ex officio tenebatur gregem sibi commissum ab haereticorum fraudibus tueri; qua de causa silentium non poterat observare, cum praecipue ut dixi, neque Cyrus circa unam operationem Christi taceret. 3. demum, epistolam Synodicam, sive communicatoriam Sophronius misit postquam ad Honorium Sergius scripserat; (1) ad utrumque enim eandem misit epistolam. Qua de causa impune, et etiam vere poterat Sergius promissionem Sophronii circa silentium servandum recensere; ut inde etiam fortasse Sophronio invidiam conflaret, si in epistola sua Synodica de duabus operationibus verba

(1) Id constat ex verbis epistolae Sergii ad Honorium: *Sophronius venerabilis Monachus, qui (ut nunc ex auditu didicimus) Hierosolymorum praesul est ordinatus; necdum enim hactenus eius ex more Synodica suscepimus*; tum ex epistola ipsius Honorii N. 1. *Novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc monachum, nunc vero ex auditu Episcopum Hierosolymitanae urbis constitutum.*

fuisset facturus; ita enim de facto illum Sergius traduxisset uti violatorem silentii promissi.

Cum itaque tot ac tanta sint argumenta, quae probant integritatem huius Sergii ad Honorium epistolae, difficultates vero quae afferuntur tales sint, quae facile dissolvi possint; iure concludo, eam a Monothelitis nullimode fuisse corruptam, sed talem eam esse, qualem Sergius scripsit.

CAPUT V.

BINAE EPISTOLAE HONORII AD SERGIUM CPTANUM EPISCOPUM RECITANTUR.

Ut omni animi sinceritate in praesentem controversiam tractationem instituam, ob oculos lectorum subiicio binas etiam Honorii ad Sergium Patriarcham epistolas, ut inde quisque videat, et an falsum quid ego proferam, et an reapse Honorius a monothelitico sit immunis errore. Si enim testimonia quaedam ex illis excerpta tantummodo citarem; aliquis fortasse suspicaretur, me ea quidem quae favere videntur, in medium protulisse ; non vero quae adversantur Honorio. Quam suspicionem omnino abesse desidero. Iuverit insuper has integras referre epistolas , ut inde lector percipiat , quanta cum veritate ego defendam, Patres Orientales in Concilio VI. errasse in facto dogmatico , dum eas ut haereticas abiecerunt.

Sic itaque prima se habet. (1)

1. « Scripta fraternitatis vestrae suscepimus , « per quae contentiones quasdam, et novas vocum « quaestiones cognovimus introductas per Sophro- « nium quemdam tunc Monachum, nunc vero ex « auditu Episcopum Hierosolymitanae Urbis con- « stitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Ale- « xandriae Antistitem, unam operationem Domini « Nostri Iesu Christi conversis ex haeresi praedi- « cantem. Qui denique ad vestram fraternitatem « Sophronius veniens, querelamque huiusmodi de-

(1). Extat apud Baronium ad an. 633; tum apud Labb. Tom. VI. Concil. Act. XII. Concilii VI.

« ponens, multiformiter eruditus, petiit de his,
« quae a vobis fuerat instructus paginalibus sibi
« syllabis reserari; quarum literarum ad eundem
« Sophronium directarum suscipientes exemplar,
« et intuentes satis provide circumspecteque fra-
« ternitatem vestram scripsisse, laudamus novita-
« tem vocabuli auferentem, quod posset scandalum
« simplicibus generare.

2. « Nos enim in quo percepimus oportet
« ambulare. Enim vero, duce Deo, perveniemus
« usque ad mensuram rectae fidei, quam Apostoli
« veritatis Scripturarum sanctarum funiculo exten-
« derunt, confitentes, Dominum Iesum Christum
« mediatorem Dei et hominum operatum divina,
« media humanitate Verbo Dei naturaliter (1).
« unita; eumdemque operatum humana ineffabili-
« ter atque singulariter assumpta carne, discrete,
« inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinita-
« te; (2) et qui coruscavit in carne plena divinis mi-
« raculis, ipse est et carneus effectus plene Deus
« et homo; (3) passiones et opprobria patitur unus
« mediator Dei et hominum in utrisque naturis,
« Verbum caro factum, et habitavit in nobis, ipse
« filius hominis de coelo descendens, unus atque
« idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus
« maiestatis, dum constet, divinitatem nullas posse
« perpeti humanas passiones; et non de coelo, sed
« de sancta est assumpta caro Dei genitrice; nam
« per se veritas in Evangelio ita inquit: Nullus
« ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit

(1) Graece: *hypostatice.*

(2) Ex textu graeco: *indiscrete, inconfuse, inconvertibiliter et plene a divinitate*

(3) Graece: *in carne miraculis perfecta divinitate, ipse est qui et carnis affectus opprobriis operatus est, perfectus Deus et homo unus mediator,*

« filius hominis, qui est in coelo; (1) profecto nos
« instruens, quod divinitati unita est caro passi-
« bilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete
« atque inconfuse, sic indivise videretur coniungi.
« Ut nimirum stupenda mente mirabiliter manen-
« tibus utrarumque naturarum differentiis cogno-
« scatur uniri. Cui Apostolus concinens ad Co-
« rinthios ait: Sapientiam loquimur inter perfectos,
« sapientiam vero non huius saeculi, neque prin-
« cipum huius saeculi, qui destruuntur; sed loqui-
« mur Dei sapientiam in mysterio absconditam,
« quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam
« nostram, quam nemo principum huius saeculi
« cognovit. Si enim cognovissent, numquam Do-
« minum maiestatis crucifixissent. (2) Dum profecto
« divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones hu-
« manas experiri vel perpeti; sed propter ineffa-
« bilem coniunctionem humanae divinaeque na-
« turae, idcirco et ubique Deus dicitur pati, (3).
« et humanitas ex coelo cum divinitate descendisse.

3 « Unde et unam voluntatem fatemur Do-
« mini nostri Iesu Christi, quia profecto a divi-
« nitate assumpta est nostra natura, non culpa;
« (4) illa profecto, quae ante peccatum creata
« est, non quae post praevaricationem vitiata.
« Christus enim Dominus in similitudine carnis
« peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de
« plenitudine eius omnes accepimus; et formam
« servi suscipiens, habitu inventus est ut homo,
« quia sine peccato conceptus de Spiritu sancto,

(1). Ioan. III. 13.
(2). 1. Cor. II. 8
(3). Ex graeco textu: *Utrobique et Deus.*
(4). Ex textu graeco: *non culpa in illa profecto quae.*

« etiam absque peccato est partus de sancta et « immaculata Virgine Dei genitrice, nullum ex- « periens contagium vitiatae naturae. Carnis enim « vocabulum duobus modis, sacris eloquiis boni « malique cognovimus nominari, sicut scriptum « est: *Non permanebit spiritus meus in homini-* « *bus istis, quia caro sunt.* (1) Et Apostolus: *Caro* « *et sanguis regnum Dei non possidebunt.* (2) « Ex rursum : *mente servio legi Dei, carne au-* « *tem legi peccati.* Et: *video aliam legem in* « *membris meis repugnantem legi mentis meae,* « *et captivum me trahentem in legem peccati,* « *quae est in membris meis.* (3) Et alia multa « huiusmodi in malo absolute solent intelligi, vel « vocari. In bono autem ita, Isaia Propheta di- « cente: *Veniet omnis caro in Hierusalem, et* « *adorabunt in conspectu meo.* (4). et Iob : *In* « *carne mea videbo Deum* (5). Et alias: *Vide-* « *bit omnis caro salutare Dei* (6). Et alia di- « versa.

4 « Non est itaque assumpta sicut praefati « sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repu- « gnaret legi mentis eius; sed venit quaerere et sal- « vare quod perierat, id est, vitiatam humani ge- « neris naturam. Nam lex alia in membris, aut « voluntas diversa non fuit, vel contraria Salva- « tori, quia super legem natus est humanae conditio- « nis. Et si quidem scriptum est: *Non veni face-*

(1). Gen. VI. 3
(2), 1. Cor. XV. 50.
(3). Rom. VII. 23.
(4). Isai LXVI. 23.
(5). Iob. XIX 26.
(6). Luc. III. 6.

« *re voluntatem meam, sed eius, qui misit me,* « *Patris* (7). Et: *non quod ego volo , sed quod* « *tu vis Pater,* (8) et alia huiusmodi; non sunt haec » diversae voluntatis, sed dispensationis humani- « tatis assumptae. Ista enim propter nos dicta « sunt , quibus dedit exemplum , ut sequa- « mur vestigia eius; pius magister discipulos im- « buens, ut non suam unusquisque nostrum , sed « potius Domini in omnibus praeferat voluntatem.

5. » Via igitur regia incedentes, et dextror- « sum, vel sinistrorsum venatorum laqueos circum- « positos evitantes, ne ad lapidem pedem nostrum « offendamus, Idumaeis, id est terrenis atque hae- « reticis propria relinquentes, nec vestigio quidem « pedis sensus nostri terram, id est, pravam eorum « doctrinam omnimodo atterentes, ut ad id , quo « tendimus, hoc est, ad fines patrios pervenire pos- « simus, ducum nostrorum semita gradientes; et si « forte quidam balbutientes , ut ita dicam , nisi « sunt proferentes exponere, formantes se in spe- « cimen nutritorum, (doctorum scilicet) ut possent « mentes imbuere auditorum; non oportet haec ad « dogmata ecclesiastica retorquere, quae neque sy- « nodales apices super hoc examinantes, neque au- « ctoritates canonicae visae sunt explanasse , ut « unam vel duas energias aliquis praesumat Christi « Dei praedicare, quas neque evangelicae vel apo- « stolicae literae, neque Synodalis examinatio su- « per his habita, visae sunt terminasse ; nisi for- « tassis, sicut praefati sumus, quidam aliqua balbu- « tiendo docuerunt, condescendentes ad informandas « mentes atque intelligentias parvulorum, quae ad

(7) Ioan. VI. 38.
(8) Marc. XIV. 36.

« ecclesiastica dogmata trahi non debent, quae « unusquisque in sensu suo abundans, videtur se- « cundum propriam sententiam explicare.

6. « Nam quia Dominus Iesus Christus Filius « ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, « ipse sit unus operator divinitatis atque humani- « tatis, plenae sunt sacrae literae luculentius de- « monstrantes (1). Utrum autem propter opera di- « vinitatis et humanitatis, una an geminae opera- « tiones debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos « ista pertinere non debent, relinquentes ea gram- « maticis, qui solent parvulis exquisita derivando « nomina venditare. Nos enim non *secundum* unam « operationem vel duas Dominum Iesum Christum, « eiusque sanctum Spiritum sacris literis percepi- « mus, sed multiformiter cognovimus operatum. « Scriptum est enim: *Si quis Spiritum Christi non* « *habet, hic eius non est* (2). Et alibi: *Nemo po-* « *test dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu san-* « *cto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem au-* « *tem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt,* « *idem autem Dominus, et divisiones opera-* « *tionum sunt, idem vero Deus qui operatur* « *omnia in omnibus* (3). Si enim divisiones sunt « multae, et has omnes Deus in membris omni- « bus pleni corporis operatur, quanto magis ca- « piti nostro Christo Domino haec possunt plenis- « sime coaptari? Ut caput et corpus unum sit per- « fectum, ut profecto occurrat, sicut scriptum est, « in virum perfectum, in mensuram aetatis ple-

(1) Ex textu graeco: *Unus et idem operans divina et humana plene sacrae literae luculenter demonstrant.*

(2) Rom. VIII. 9.

(3) 1. Cor. XII. 3. et seqq.

« nitudinis Christi. Si enim in aliis, id est, in « membris suis, Spiritus Christi multiformiter ope- « ratur, in quo vivunt, moventur, et sunt; quanto « magis per semetipsum mediatorem Dei et ho- « minum, plene ac perfecte, multisque modis, et « ineffabilibus confiteri nos communione utriusque « naturae condecet operatum?

7. « Et nos quidem secundum sanctiones di- « vinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare, « illa videlicet refutantes, quae quidem novae vo- « ces noscuntur sanctis Dei ecclesiis scandalum ge- « nerare, ut parvuli aut duarum operationum vo- « cabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana « sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam ope- « rationem Domini Nostri Iesu Christi fatendam « esse censuerimus, stultam Eutychianistarum at- « tonitis auribus dementiam fateri putemur; prae- « caventes, ne quorum inania arma combusta sunt, « eorum cineres redivivos ignes flammivomarum de- « nuo renovent quaestionum, simpliciter atque ve- « raciter confitentes Dominum Iesum Christum unum « operatorem divinae atque humanae naturae, ele- « ctius arbitrantes, ut vani naturarum ponderato- « res ociose negotiantes, et turgidis adversus nos « insonent vocibus ranarum philosophi, quam ut « simplices et humiles spiritu populi christiani pos- « sint remanere jejuni. Nullus enim decipiet per « philosophiam et inanem fallaciam discipulos pi- « scatorum, eorum doctrinam sequentes; omnia « enim argumenta disputationis callidae atque flu- « ctivaga in eorum retia sunt collisa.

8. « Haec nobiscum fraternitas vestra prae- « dicet, sicut nos ea vobiscum unanimiter praedi- « camus; hortantes vos, ut unius vel geminae no-

« vae vocis inductum operationis vocabulum aufu-
« gientes, unum nobiscum Dominum Iesum Chri-
« stum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in dua-
« bus naturis operatum divinitus atque humanitus,
« fide orthodoxa atque unitate catholica praedice-
« tis. Deus te incolumem custodiat, dilectissime at-
« que sanctissime frater.

Epistola haec prima Honorii ad Sergium, ut iam adnotavi, lecta est actione XII. Concilii III. Cptani. At vero actione XIII. lecta est et altera, quam Honorius ad eumdem Sergium scripserat, quamque integram non habemus; atque hinc prout in actis reperio, eam recito (1).

Sic itaque se habet.

1. « Dilectissimo fratri Sergio Honorius. Scri-
« pta dilectissimi filii nostri Syricii Diaconi...*Habet*
« *autem eadem epistola post pauca haec*: Nec non
« et Cyro fratri nostro Alexandrinae civitatis praesuli,
« quatenus novae adinventionis unius, vel duarum
« operationum vocabulo refutato, claro Dei eccle-
« siarum praeconio, nebulosarum concertationum ca-
« ligines offundi non debeant vel aspergi; ut pro-
« fecto unius vel geminae operationis vocabulum

(1) Haec epistola integra quidem recitata est in Concilio, sed in actis illae tantummodo partes relatae, quae in suspicionem veniebant, ut ex ipsis actis constat. Hinc plenum iudicium de ea ferri non posset; cum aliquando quae dubia videntur, optime ex contextu explicentur. Attamen partes quae supersunt, quaeque recitantur dogma catholicum verbis evidentissimis complectuntur; ex quo intelligo partes, quae desunt, nullam dedisse Patribus suspicionem: 1. quidem, quia, sin minus, eas quoque retulissent: 2. quia cum certissimum haberi debeat de una eademque re loqui partes quae desunt; hinc deduco, eas efformasse veluti probationes eorum, quae in actis relata sunt; continuisse insuper luculentiorem explicationem fidei contra Monothelitas. Secus invidi Orientales partes illas silentio non praeteriissent.

« noviter introductum ex praedicatione fidei exi-« matur. Nam qui haec dicunt, quid aliud nisi iu-« xta unius vel geminae naturae Christi Dei vo-« cabulum, ita et operationem unam vel geminam « suspicantur? Super quod clara sunt divina testi-« monia. Unius autem operationis vel duarum esse « vel fuisse mediatorem Dei et hominum Domi-« num Iesum Christum, sentire et promere satis ine-« ptum est...

Habet autem et circa finem eadem epistola sic : « Et quidem quantum ad instruendam noti-« tiam ambigentium, sanctissimae fraternitati ve-« strae, per eam insinuandam praevidimus.

2. « Ceterum quantum ad dogma ecclesiasti-« cum pertinet, quae tenere vel praedicare debe-« mus propter simplicitatem hominum, et ampu-« tandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut « superius diximus, non unam vel duas operatio-« nes in mediatore Dei et hominum definire; sed « *utrasque naturas in uno Christo unitate natu-« rali copulatas cum alterius communione ope-« rantes atque operatrices confiteri debemus*; « *et divinam quidem, quae Dei sunt, ope-« rantem; et humanam, quae carnis sunt, exe-« quentem*, non divise, neque confuse, aut con-« vertibiliter Dei naturam in hominem, et huma-« nam in Deum conversam edocentes; sed natura-« rum differentias integras confitentes. Unus enim « atque idem est humilis et sublimis, aequalis Pa-« tri et minor Patre, ipse ante tempora natus in « tempore est; per quem facta sunt saecula factus « in saeculo est, et qui legem dedit factus sub le-« ge est, ut eos qui sub lege erant, redime-« ret; ipse crucifixus, ipse chirographum, quod

« erat contra nos, evacuans in cruce, de potesta-
« tibus et principatibus triumphavit.

3. « Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, *ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.*

4. « Et hoc quidem beatissimae fraternitati vestrae insinuandum praevidimus, quatenus unius confessionis propositum unanimitati vestrae sanctitatis monstremus, ut profecto in uno Spiritu anhelantes pari fidei documento conspiremus.

5. « Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio Antistitibus, ne novae vocis id est, unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed abrasa hujusmodi novae vocis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem.

6. « Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater et coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur; quod instantissime promiserunt praedictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater et coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.

Circa recitatas Honorii epistolas scriptores etiam catholici inter se digladiantur; nonnulli enim omnino propugnant, utramque a Monothelitis fuisse suppositam; alii alteram quidem suppositam fuisse affirmant, non autem priorem, quam tamen ut foede ab illis corruptam traducunt; alii tum primam tum secundam ab Honorio scriptam contendunt, sed tamen utramque Monothelitarum corruptionem passam esse; alii demum et genuinas eas esse defendunt, et incorruptas; quibus postremis subscribendum et ego censeo.

Ita circa doctrinam, quam epistolae continent; Graeci quidem tum antiqui tum recentes, eas dogmati Monothelitico favere contendunt; ob idque damnatas ut haereticas in concilio VI.; quibus et Protestantes assentiuntur; Catholicorum scriptorum vero, illi quidem qui Papistae per irrisionem vocantur, (sed hi sunt catholici proprie dicti) epistolas Honorii ab omni Monothelitica pravitate immunes declarant et probant; alii vero talia in illis contineri affirmant, quae vix, aut ne vix quidem benigna interpretatione excusari possint. Et hi Graecorum sententiae accedere videntur. (1)

Pariter circa auctoritatem, quam sibi hae vindicant epistolae, scriptores inter se non conveniunt; cum alii eas ab Honorio prodiisse scribant, ut a privata persona; alii vero ab eo ut universae Ecclesiae episcopatum gerente.

Ut itaque ordine aliquo procedam, 1. quidem de genuinitate, et integritate epistolarum Honorii; 2. de earum orthodoxia; 3. demum de earum auctoritate tractationem instituam.

(1) Legantur horum nomina apud Matranga in Adnotationibus ad Mamachium, Origin. et Antiquit. Tom. VI. pag. 76 et seqq. Edit. Salviucci 1851.

CAPUT VI.

DE GENUINITATE ET INTEGRITATE EPISTOLARUM HONORII AD SERGIUM

Et primum observo, has duas epistolas unum eumdemque auctorem redolere, cum iisdem sententiis, eodem stylo, intentione eadem, et pene iisdem verbis scriptae sint; quare vel neutra, vel utraque Honorio est adiudicanda. Quin insuper animadverto, alteram epistolam continere evidentiorem explicationem doctrinae catholicae; ita ut si dubium quid vel obscurum in prima circa Honorii fidem occurrat, (quod tamen non concedo) ex altera emendari, et saltem explicari facile possit, ut cuicumque, qui eas attente legat, patebit. Qua de causa demonstrationem genuinitatis et integritatis epistolae secundae tuto praetermitto; primo quidem, quia ut dixi, eumdem auctorem redolet, et hinc demonstrata prioris genuinitate et integritate, de altera quoque idipsum demonstratum erit; deinde vero, quia cum secunda lucidiora testimonia contineat duarum Christi naturarum, quae in unitate personae divinae copulatae, *propria operentur*, *sintque operatrices*; (qua sententia monotheliticum commentum omnino evertitur) non potest haec orta ex monothelitarum fraudibus defendi, si praesertim neque primam a monothelitis originem duxisse demonstraverim.

Quibus praemissis. Cuique patet, duplex a criticis indicium assignari ad dignoscendam alicuius scripti genuinitatem; aliud extrinsecum, situm nempe, in testimonio scriptorum praesertim coaevorum, qui affirment a tali auctore tale prodiisse sive opus,

sive epistolam, sive volumen quodcumque; alterum in similitudine styli sententiarum, et ratione loquendi, quam habet scriptum, de quo quaeritur, cum aliis certissimis eiusdem scriptoris operibus.

Hoc alterum indicium praetermitto; cum enim nullas alias Honorii epistolas habeamus, quae circa haeresim Monotheliticam versentur; comparatio, accurata saltem et quae quaestionem dirimat, inter scripta eius institui nequit. Verum satis mihi erit, si ob doctrinam, quam continent, nulli Monothelitae tribui posse demonstraverim. Hoc enim in casu, cum epistolae citatae semper Honorio adiudicatae sint tum a Graecis, tum a Latinis, nullique alii praeterea a recentioribus tribuantur; atque de cetero a Monothelitis prodire non potuerint, quod eorum dogmate, ob doctrinam quam continent, summopere abhorreant, nonne hoc ipso Honorio prorsus sunt tribuendae? (1) Iam vero, ut a primo capite exordiar, certum habendum esse existimo, Romanos Pontifices, qui post Honorium Petri cathedram moderati sunt, probe scivisse, Honorius ne illas ad Sergium epistolas scripserit. Agebatur enim de re, cuius veritatem nosse eos maximi intererat, cum Honorii nomine Monothelitae abuterentur ad haeresim suam propugnandam, et grave proinde vulnus Romanae cathedrae infligeretur, cuius in fide inerrantiam semper Romani Pontifices commendaverant. Atqui sive eos Pontifices interrogemus, qui ante Concilium VI. summum gessere Pontificatum, sive eos, qui postea, semper inveniemus

(1) Atque haec, ut generice loquar. Pro iis enim qui alterutram epistolam suppositam defendant, etsi corruptam, optime ex similitudine styli et sententiarum, eorum opinio refutari posset.

eos propulsasse haeresim ab Honorio, numquam autem negasse, primam saltem ad Sergium epistolam ab eo fuisse scriptam (1).

Et quoad eos, qui ante Concilium VI. vixere, nominandus primo loco est Ioannes ille IV., qui suam apologiam pro Honorio ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium misit, in qua, postquam conquestus fuerit de Monothelitarum, et praesertim Pirrhi Cptani fraude, qui undequaque in vulgus spargere nitebatur, ab Honorio unam voluntatem propugnari in dispensatione Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi; tantum abest ut neget illam ad Sergium epistolam, in qua accusationis caput habebatur, scriptam ab Honorio fuisse, ut hoc prorsus veluti re indubia, concesso, eum defendere aggrediatur, mentem et sententiam eius exponendo, tum ex rei natura intrinseca, tum auctoritate Ioannis Symponi, qui fuerat Honorio a secretis, illamque scripserat. Praestat iterum eius referre testimonium. *Omnes Occidentales partes*, inquit, *scandalizatae turbantur, fratre nostro Pirrho Patriarcha per literas suas huc atque illuc transmissas, nova quaedam et praeter fidei regulam praedicante, et ad proprium sensum, quasi sanctae memoriae Honorium Papam attrahere festinante; quod a mente catholici Patris erat penitus alienum.* Quibus prolatis, explicat Ioannes, quo sensu Honorius unam in Christo voluntatem dixerit.

Ex citato testimonio plurima ad rem nostram, Et 1. Omnes Occidentales partes scandalum sumpsis-

(1) Dico saltem, quia altera in Concilio VI. primum comparuit. At ex hoc non sequitur illam apochrypham esse.

se, tum quod Pirrhus nova quaedam, et praeter fidei regulam praedicaret, tum quod Honorii epistolam primam ad monotheliticum errorem confirmandum adduceret. Ergo omnes Occidentales partes noverant, et Honorium illam scripsisse epistolam, et ita eam scripsisse, ut a Monothelitica pravitate esset prorsus immunis. Quomodo igitur possumus Epistolarum Honorii genuinitatem impugnare, cum hanc omnes occidentis Episcopi fateantur eo tempore, quo nedum recentissima erat facti et Honorii memoria; sed et illi vivebant, qui et literas scripserant, et scriptas ab Honorio fuisse certe sciebant? Profecto in re tam recenti, ego nescirem quo nomine Ioannem IV. appellare, qui cum potuisset, imo debuisset pro christiana catholicaque conscientia, et pro reverentia erga suos praedecessores omnino negare, tales ab Honorio ad Sergium datas epistolas; quin id negaverit, earum sensum solummodo defendit, advocando in testem interpretationis suae Ioannem Symponum, cuius dextera usus Honorius fuerat in illis conscribendis. At decuisset ne id Romanum Pontificem, imo fecisset ne Ioannes IV. si saltem potuisset suspicari eas, quae Honorio tribuebantur, Epistolas, a Monothelitis fuisse suppositas? Nonne Honorii innocentiae et famae intulisset nocumentum, cum Monothelitae pertinaces esse semper potuissent, ut de facto fuerunt, in defendendo sensu monothelitico epistolarum eius? atque suspicari et dicere, a Romanis Pontificibus Honorium defendi, non quod innocens, sed quod et ipse Romanam sedem rexerit; solere vero collegas collegam pro viribus defendere.? Quamnam igitur Apologiam pro Honorio scripsisset Ioannes? Pessimus certe fuisset Honorii defensor et apolo-

gista; sicut pessimus omnino advocatus habendus est ille, qui cum possit et debeat reum defendere affirmando, et probando, nunquam ab eo tale fuisse crimen admissum; crimen e contra fatetur, et ipsum tantummodo, etsi vere, excusat. Talem profecto defensorem ego habere nollem. E contra Ioannes, si aliquo pacto potuisset, impugnando epistolarum genuinitatem, duo praestitisset; Honorii nempe innocentiae et famae consuluisset omnino tunc et in aeternum, et os obstruxisset Monothelitis, eos veluti calumniatores et impostores, ut par erat; traducendo. Quod tamen cum Ioannes non fecerit; concludendum est, ipsum certum omnino de epistolarum Honorii genuinitate fuisse.

Et quidem 2., in ejus potestate erat certior de re fieri, si vel pervolutasset Romanae Ecclesiae tabularium, vel eos, qui cum Honorio vixerant, interrogasset. Epistolas enim Honorii, si ab eo scriptae fuere, in Romano Archivio asservatas fuisse quis unquam negaverit? Eas insuper a Ioanne IV. lectas, patet ex quo plurima, quae habentur in prima Epistola, in sua Apologia referat. Si dicamus eam ab Orientalibus accepisse, et apochrypham esse, quomodo Ioannes Symponus affirmare potuit, et se illam scripsisse epistolam, et illa verba, quorum causa ut haereticus traducebatur Honorius? Una tantummodo hypothesis fieri posset; vel Ioannem IV. scilicet, mentitum fuisse Ioannis Symponi testimonium et auctoritatem; vel Ioannem Symponum mendacissime se illam scripsisse epistolam, et sententiam affirmasse.

At haec a viro, qui sensu communi praeditus sit, dici ne possunt, ne dicam cogitari? Potest ne serio affirmari, tales ac tantos viros voluisse men-

tiri? Ad quid inde? ut, nempe, sibi infamiam et reatum conscientiae acquirerent, Honorio vero labem haereticam? Siquidem si Epistolae Honorii a Monothelitis scriptae sunt, ab haeresi excusari non possunt; cum sententia haec: *Unam fatemur voluntatem Domini nostri Iesu Christi*; et haec alia: *confitentes Dominum Iesum Christum unum operatorem divinae atque humanae naturae* (1) Et haec alia: *Unius autem operationis, vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum dominum Iesum Christum, sentire et promere satis ineptum est* (2) hae, inquam, sententiae sensu monothelitico et intentione omnino dictae sint oportet, quia non alio sensu monothelitae eas scripserunt; qua de causa si absurda illa, quae supra recensita sunt, quis devorare velit, hoc unum pariter necessario concludet; Ioannem Papam, et Ioannem Symponum haereticum Honorium fecisse, dum defendere vellent. (3) Haec autem quis affirmabit?

Qua de causa, cum Ioannis IV testimonium tale sit, ut sperni a nemine possit qui scepticus non sit; talibus enim circumstantiis tum loci, tum temporis, tum personarum versabatur, ut omnino rem exploratissimam habuerit; atque pro scopo insuper, quem sibi praefixerat in Apologia illa conscribenda, atque pro persona quam gerebat, mentiri neque voluerit, neque potuerit; si auctoritatem eius in dubium revocemus, atque dicamus ipsum illusum deceptumque a Monothelitis fuisse, ego nescio quo-

(1) Ep. 1.
(2) Epist. 2.
(3) Haec animadversio etiam pro illis valeat, qui corruptas a Monothelitis Honorii epistolas affirmant; hi enim viam tutiorem, imo veram occludunt ad Honorium defendendum.

dnam aliud testimonium in historia fidem facere poterit? Profecto si nos genuinitatem epistolarum Clementis ad Virgines ex eo quoque admittimus, quod Hieronymus, (1) et Epiphanius (2) de his verba faciant, atque Clementi 1. Romano Pontifici adiudicent; si septem illas notissimas Ignatio Martyri epistolas tribuimus, quod Polycarpus, Irenaeus Origenes, aliique posteriores scriptores eas Ignatio attribuant; quare fidem detrectabimus Ioanni IV Romano Pontifici, qui coaevus Honorio fuit et cum ipso vixit; quique insuper a coaevis personis quae pariter Honorium noverant, immo ab iis ipsis qui epistolas scripserant, certior de re fieri potuit? atque de cetero epistolas legere, conferre, characteres expendere, testes interrogare, et quidquid sibi libebat in operam ponere, ne aliquis sibi dubitandi de re illa scrupulus remaneret, ut reapse fecit?

Verum non unus est Ioannes IV., ex quo genuinitas Epistolarum Honorii defendatur. Extat et S. Maximus Martyr, qui in Dialogo cum Pirrho Monothelita, verba utique Honorii catholico sensu exposuit, uti exponenda erant; minime vero negavit primam eum scripsisse Epistolam: *Quis epistolae illius fide dignus erit interpres? Qui eam ex persona Honorii composuit? an Constantinopolitani de corde suo loquentes?* (3) Atque iterum in Epistola ad Marinum Presbyterum. (4) *Honorium quoque*, inquit, *Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem in epistola, quam scripsit ad Sergium.* Nullimode igitur

(1) Contra Jovinianum Lib. 1 Palag. 12
(2) Haeresi 30
(3) Migne Patrolog. Graec. Tom. 91 Col. 327.
(4) Extat Tomo eodem. Col. 238

S. Maximus dubitat de veritate epistolae Honorii ad Sergium neque in Dialogo cum Pirrho, neque in hac ad Marinum epistola. Quomodo autem fieri potuerit, ut nullus suppositionem fuerit suspicatus, intelligere non possum. Graecos enim ad struendas fraudes aptissimos fuisse S. Maximus noverat; ex hoc autem suspicio naturaliter se eius menti ingerere debuit suppositionis huius epistolae; unde ergo hanc suspicionem saltem non innuit ipse, qui Pirrhum ut mendacem redarguit, quod immutasset, ut ipse arbitrabatur, unum in epistola Sergii ad Honorium vocabulum? quique, ut ex inferius dicendis patebit, Graecos etiam accusat, quod falso aliorum dicta exponerent? Quare, inquam, hanc suspicionem non innuit ipse, non innuit alius quisquam qui ante Concilium VI. vixit? non innuit Anastasius ille abbas, de quo in cit. epistola S. Maximus dicit: *Certiorem autem mihi hunc* (sensum) *fecit Presbyter Dominus videlicet Anastasius abbas e Seniori Roma reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divina et prudentia venustatus, qui asserens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos illius Ecclesiae viros propter epistolam, quae ab eo fuerat ad Sergium scripta?* etc. Ex hoc insuper testimonio patet, pluries inter se catholicos de Honorii epistolae sensu contulisse, pluries contra Monothelitas eius orthodoxiam defendisse, universos Romanae Ecclesiae Sacerdotes ea de re commotos; nullum tamen negasse authenticitatem illarum epistolarum; quod quidem incredibile, in re praesertim tam recenti videri debet. Cum enim de fide agitur, et praecipue de fide Romani Pontificis, solent illico ducumenta inquiri, conferri scripta, interrogari homines, qui rem

noverint, et nihil praetermitti, quo veritas undequaque pateat; constat autem ex documentis allatis Romanae Ecclesiae Sacerdotes, ipsosque Romanos Pontifices de Honorii fide iudicasse ex eius epistolis ad Sergium, et Graecorum falsam interpretationem, veri sensus expositione refutasse. Quid ergo dicemus? eos considerare praetermisisse monumentum, in quo continebatur accusationis caput, dum quod primum hisce in quaestionibus inquiritur est absolute ipsum documentum? Bella quidem res esset affirmare, universos Occidentis Episcopos, ipsumque Romanum Pontificem Honorium defendisse, quin scirent quid Honorius dixerit, quinam esset epistolae eius contextus, quin, ut verbo dicam, prae manibus ipsum authenticum documentum haberent! Bella quidem res eos doluisse, quod Monothelitae studerent Honorii epistolis propriam haeresim confirmare, eas a Monothelitis accepisse, et non contulisse tamen cum exemplaribus qui certo certius extabant in Archivio Ecclesiae Romanae! Siquidem quodnam exemplar dicemus prae manibus habuisse Joannem IV., cum illam pro Honorio scripsit Apologiam? Exemplar ne missum ab Orientalibus? At praetermisso, quod hoc nullibi legamus, et ab adversariis nostris esset probandum; sit insuper ut omnino falsum habendum, cum Orientalibus persuasum certe fuit de existentia epistolarum Honorii in Romanae Ecclesiae Tabulario; sit praeterea certissimum, ab eis in Occidentem, Romam praesertim, has non missas epistolas, si eas supposuerint, ne propriam fraudem, turpissimamque malitiam proderent; his inquam, praetermissis; quomodo fieri potuit, ut Joannes IV., ut omnes Romanae Ecclesiae Sacerdotes caecam fidem

Monothelitis accomodarent, dum sibi de haeresi in suspicionem venerant? Si vero Occidentis Sacerdotes et Episcopi prae manibus habuere, ut habuerunt certissime, ipsius Honorii epistolarum authentica exemplaria; (siquidem earum sensum excusabant, id est, rationem reddebant quare *unam voluntatem* Honorius scripserit ex his quae sequebantur,) quomodo de earum genuinitate dubitare possumus? Qua de causa semper pro genuinitate harum Honorii literarum concludendum esset, etiamsi ab Oriente Romam delatae fuissent, vel missae ante Concilium VI; quod tamen incredibile dico, ea etiam ratione, quod cum Joannes IV. pro Honorio apologiam scriberet, Romae ii viverent qui epistolas scripserant, ut superius observavi.

Non spernendum insuper arbitror argumentum illud, quod ex haereticis ipsis, qui ante Concilium VI. vixerunt, quique cum Romanis Pontificibus causam habuerunt, deduci potest; siquidem et hi in suis ad Romanos Pontifices epistolis allegarunt in defensionem suae doctrinae Honorii litteras, etsi semper primam. Ita Paulus Episcopus Cptanus in sua ad Theodorum Papam epistola, quae lecta est actione, seu Secretario IV. Concilii Lateranensis sub Martino, postquam de una in Christo voluntate et Patrum circa illam sententiam doctrina plurima dixerit, inquit: *Quibus concordantes*, (Patribus nempe, qui unam voluntatem fateri Paulo visi sunt) *et consonantes facti sunt piae memoriae Sergius et Honorius, unus quidem novae, alter autem antiquae Romae summi Sacerdotii Sedem decorantes.* Etsi vero non me lateat in supponendis Sanctorum scriptis, corrumpendisque Patrum testimoniis impudentissimos Monothelitas fuisse; tamen nescio an tam impudens Paulus esse voluerit coram

Theodoro Papa, cum ipse probe cognosceret fraudem omnem et imposturam facillime fore ut is detegeret, tum ob facti memoriam recentissimam, cum Theodorus Romanam Cathedram moderandam susceperit anno 642. quatuor, nempe annis ab Honorii morte, tum ob exemplaria epistolarum quae asservari debuerant in Romanae Ecclesiae tabulario, tum, dato quod exemplaria fuerint deperdita, ob personas, quae cum Honorio vixerant, quasque interrogare Theodorus Papa poterat, an epistolas a Paulo allegatas Honorius scripserit. Paulo igitur nulla saltem suspicio fuit de apochryphia epistolarum Honorii; sin minus enim se ab illis citandis temperasset, ne ut impostor a Theodoro argueretur. Atque idipsum de Pirrho dicite, qui tanta confidentia, animique securitate Honorii epistolam S. Maximo objecit, ut certus fuisse videatur a Maximo illius genuinitatem negari non potuisse, sicut negata non est. Atque hinc, unde fieri poterat, ut haeretici ita circa Honorii epistolas sese gererent et a nemine de mendacio arguerentur, quasi suppositiis scriptis suo errori patrocinium quaererent? Quamvis enim concedam in Concilio ipso VI. talia supposititia documenta fuisse allegata, atque in medium actione III. productos apochryphos libellos Mennae ad Vigilium Papam, et huius ad Imperatorem Justinianum, et Theodoram Augustam, insuper multa corrupta Patrum testimonia; tamen illico fraus deprehensa est, et anathemate mulctata. Credibile autem ne est segnes adeo fuisse Romanos Pontifices, qui Honorio successerant; Severinum dico, Ioannem IV., Theodorum, Martinum, Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, Donum, Agathonem ut nullus vel voluerit, vel valuerit fraudem detegere, cum

sexcenta prae manibus media ad illam detegendam haberent?

Sed ex ipsius Concilii VI. actis rem dirimendam esse censeo; ex actis, inquam, Concilii, quae nunc ut incorrupta suppono, etsi eorum integritatem sim inferius probaturus.

Actione itaque XII. lecta est coram universo Concilio epistola prima Honorii, quae fuit rescriptum ad Sergii epistolam; et dum cetera documenta ,quae vel corrupta, vel integra reperta sunt, collata a Graecis ad codices authenticos fuerint; hujus Honorii epistolae collatio instituta est a Ioanne Portuensi Episcopo Romani Concilii seu Occidentalis Ecclesiae Legato. Ita enim legimus in actis : *Similiter prolata est a Georgio Dei amabili Diacono et chartophylace epistola authentica latina Honorii quondam Papae Romani, ad Sergium quondam Patriarcham Cpleos una cum ejus interpretatione, et collata est eadem latina epistola per Ioannem Rmum. Episcopum Portuensem, qui unus extitit de concilio antiquae Romae; et constitit.* Etiamsi igitur ex Macarii codice epistola Honorii lecta primum sit; tamen nullimode eam Macarius vel supposuerat, vel corruperat; siquidem collata est cum *epistola latina authentica*, id est cum exemplari originali quod asservabatur in archivio Ecclesiae Cptanae, atque collatione facta, incorrupta deprehensa est. Iam vero quid ad haec dicemus ? illam nempe *latinam epistolam authenticam Honorii* fuisse monothelitarum commentum ? At quare, si hoc dicamus, collatio Episcopo latino commissa est? nonne ut nullus fraudem suspicaretur ? et ut nullus hanc etiam Honorii epistolam suppositam argueret, quomodo suppositionem Legati

Romanae sedis arguerunt libellorum Vigilii ad Theodoram Augustam et Iustinianum Imperatorem? (1) Cum autem neque Ioannes Portuensis, neque alii Romanae sedis Legati de ulla fraude conquesti sint; patet, et Graecos alienos fuisse ab instruenda illa suppositionis fraude; saltem Orientales illos eam non fuisse suspicatos; et latinae Ecclesiae legatos omnino genuinam epistolam e tabulario allatam recognovisse. Credibile enim ne est eos fuisse deceptos? at quo argumento? quia ne adeo versati in scientiis non essent? Et tamen hi quos imperitos adeo traducunt, suppositionem libellorum Mennae et Vigilii illico cognoverunt, et probarunt; dicendi autem non sunt illi negligentiores in detegenda fraude circa Honorii epistolas fuisse Deinde eos Roma epistolarum Honorii exemplaria detulisse quis unquam negaverit, cum sciamus secum attulisse etiam authenticos Sanctorum Patrum codices quibus integritatem et veritatem probarent illorum testimoniorum a variis operibus Patrum excerptorum, quae lecta et collata ad codices authenticos fuere Actione X? Cum enim legeretur testimonium illud circa duas operationes, quod Chrysostomus protulit in sermone de S. Thoma Apostolo, inquiunt acta: *Quod testimonium similiter collatum est cum libro membranaceo prolato a parte Apostolicae Sedis antiquae Romae, et constitit.* (2) At legatos. omnem

(1) Ita enim Actione III. circa hos libellos Occidentales Episcopi clamarunt.. *Non faciat Deus, Domine.. Non dixit Vigilius unam operationem. Non sunt libelli Vigilii. Falsatus est hic liber sicut et exordia primi libri praesentis quintae synodi*

(2) Ad laudem et gloriam Ecclesiae Romanae observo, omnia testimonia a legatis Agathonis producta, constitisse cum authenticis exemplaribus; si quae non constiterunt, fuerunt ea quae a Graecis producta sunt.

omnem adhibuisse operam ut probarent genuinitatem testimoniorum SS. Patrum, quae in duobus codicibus synodo obtulerant, ob idque codices opportunos secum detulisse; sprevisse vero causam Honorii agere , et neque epistolarum ejus saltem apographa ex authentico desumpta secum attulisse; et hoc cum scirent Honorium ut haereticum traduci ob eas praecise ad Sergium epistolas; cum scirent insuper Agathoni et universae occidentali Ecclesiae summopere cordi esse ut Honorius purgaretur, hanc, inquam , negligentiam in legatis Romanae sedis admittere non possum tum propter munus , quo fungebantur , tum quod illa in ipsum Agathonem et concilium Romanum refundatur ; ab his enim quid agendum esset legati fuerant certissime edocti; et ab iisipsis, vel saltem de ipsorum consilio codices Cplim deferendos habuerant; proindeque etiam Honorii epistolarum authentica exemplaria. Hinc profecto ruit argumentum illud, vel potius sophisma, quod producunt, ut suppositionem harum epistolarum defendant; improbabile nempe non esse, etiam Honorii epistolas fuisse suppositas, quod ex archivio Ecclesiae Cptanae allati sint codices, qui supposititia scripta continerent. Fateor; sed etiam allati sunt codices omnino integri et authentici, ex quibus detecta est vel suppositio et corruptio, vel integritas et genuinitas aliorum documentorum; si igitur aliorum scriptorum apochryphia vel corruptio deprehensa est, quare detecta non est illa epistolarum Honoriia d Sergium? Novisse enim Legatos Romanae Sedis antequam ad Concilium accederent Honorii epistolas, nemo certe in dubium revocaverit, cum ob eas hic ut monothelita traduceretur, atque universi ea de accusatione scandalum sumerent in Occidente; insuper non semel eas legisse , quis un-

quam negaverit, cum de Honorio esset in Concilio agendum? si igitur Ioannes Portuensis collatione peracta, affirmavit exemplar lectum ex codice Macarii in nullo discrepare cum exemplari latino authentico ex Archivio Patriarchae in synodum delato, profecto concludere debemus hanc primam Honorii epistolam omnino genuinam esse; neque enim concedere possum, Ioannem fuisse deceptum, cum exemplar authenticum, et ex subscriptione, et ex bulla, et ex sexcentis aliis indiciis omnino cognosci potuerit missum, nec ne, Roma fuerit ab Honorio Quibus addendum puto, a graecis ipsis in Concilio VI. plurimam adhibitam fuisse operam, quo genuina scripta et incorrupta a spuriis et corruptis secernerentur. Quid enim aliud innuunt juramenta praestita a charthophylace, id Patribus expostulantibus, circa authenticitatem, sive interpolationem, sive incorruptionem codicum, quos ad synodum deferebat? quid aliud inquisitio Patrum ipsorum ut codices omnino authentici ex Ecclesiae Cptanae tabulario afferrentur, quo cuncta quae ad synodum deferebantur extra omnem quaestionem ponerentur? Quid scrupolosa illa diligentia ut characteres et literae documentorum examini et inquisitioni subjicerent, ne ulla fraus lateret? quid demum examen illud personarum, a quibus relata nonnulla apochrypha in codices Bibliothecae fuerant, praesertim libelli Vigilii, de quibus supra dictum est? (1) Haec vero demonstrant, nihil ab ipsis Orientalibus praetermissum, quo authentica a spuriis secernerentur, et corrupta ab incorruptis; qua de causa cum circa Honorii epistolas neque

(1) Haec constant praesertim ex Actionibus XIII et XIV.

suppositio, neque corruptio aliqua deprehensa fuerit, nescio quo pacto a recentioribus earum authenticitas negari possit.

Hinc progredior ad probandam genuinitatem epistolarum Honorii ex iis quae in eius causa facta sunt post Concilium VI. Siquidem cuique patet, in hoc Concilio damnatum fuisse Honorium ob eas prorsus epistolas, quae sub eius nomine in eo lectae sunt; Romanos vero Pontifices eius damnationem, etsi sensu diverso ab eo quo lata ab Orientalibus fuit, confirmasse. At hoc ipsum demonstrat, eos uti genuinas habuisse Honorii literas; si enim vel spurias, vel saltem dubias censuissent, confirmassent ne damnationem Honorii, cum ob eas epistolas damnatum scirent? Et si dubium aliquod, aut scrupulus de earum genuinitate insedisset menti eorum, quomodo factum est, ut neque ipsi, neque Romanae Ecclesiae aliquis ea de re sedulo investigarent, praesertim cum damnationem Honorii repetitam viderint in Conciliis VII., et VIII? Non me latet tamen, Anastasium Bibliothecarium in praefatione ad suam ad Ioannem Diaconum collectaneam, in dubium revocare genuinitatem epistolarum Honorii, cum affirmet, manifestum non esse an ipse eas dictaverit. *Ad manus nostras, inquit venire contigit Apologiam Ioannis IV. Romani Pontificis pro Honorio Papa a calumniatoribus impetito, quod Domini Nostri Iesu Christi unam tantum scripserit voluntatem. Quae videlicet Apologia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic Sexta Synodus quasi haeretico anathema dixerit; et in Dei solius jam judicio positus, reprobationis telo perfoderit; cum haereticus non ex oris tantum deceptione, quantum ex electione non recta; et con-*

tentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipse pro certo dictaverit epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cum et ex scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio quid contingere tale potuerit? Quamvis non ignoramus, docente S. Maximo, in epistola sua quam Marino scripsit Presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Ioannem abbatem. Esto et ipse (Honorius) *dictator extitit; quis hinc illum interrogavit? quis intentionem investigavit? etc.*

At hanc Anastasii ratiocinationem nihil demonstrationi, quam de huius epistolae genuinitate dedi, officere, manifestum esse ex sequentibus arbitror. Siquidem.

1 Anastasius coniecturae innititur, quae certissima argumenta infringere non potest.

2. Non inficiatur hanc Honorii epistolam scriptam Romae fuisse; sed tantummodo dubitat an illam Honorius dictaverit, vel alius quilibet in odium ipsius.

3. Ab eius scriptione excludit Orientales, et Monothelitas quoslibet; cum hi non ex indisciplinatione, vel odio in Pontificem eam certe scripsissent; atque de cetero satis constet Monothelitas numquam Romae fuisse.

4. Neque ullimode Ioannis IV., vel S. Maximi auctoritatem refellit, qui eam dicunt a Ioanne Sympono scriptam, quem Anastasius virum sanctissimum vocat.

5. Non tam ex epistola, quam quod Honorius pertinax in errore defunctus non fuerit, eum excusare Anastasius conatur; in quo de cetero excedit.

6. Falsum demum scribit, cum absolute dicit, intentionem Honorii non fuisse investigatam; siqui-

dem, etsi non ipsius, qui iam obierat, fuit tamen investigata mens eius in Ioanne Sympono, qui epistolam scripserat, quique certe noverat, quo sensu ea quae a Monothelitis carpebantur, Honorius dixerit, vel ipsemet Honorii nomine.

Quin igitur ego Anastasii coniectura movear, potius concludo, eas Honorii epistolas tunc temporis asservatas in Archivio Ecclesiae Romanae, easque habuisse prae manibus. Sin aliter enim, quomodo ipse cui certe perspecta erant illa documenta, ad tam futile ratiocinium confugisset, Honorii defendendi gratia, dum suspicionem suam, quod fortasse Honorius illas non scripserit epistolas, potuisset roborare, omnibus patefaciendo, illius epistolas non reperiri in Romano Archivio; in quo certe extare debuissent, si vel ab ipso, vel de mandato eius fuissent conscriptae? Haec quidem assertio maximam suspicioni eius vim addidisset, sine qua tamen pura suspicio manet, et puerile quodammodo ratiocinium, ut pace tanti viri dicam; qua enim vel levissima ratione poterat suspicari, an non illa fuerit epistola scripta vel scriptoris indisciplinatione vel in Pontificem odio, cum et ex Apologia Ioannis IV., et ex S. Maximo didicisset eam a Ioanne Sympono scriptam, quem virum sanctissimum appellat? Anastasii igitur documentum nedum sententiam meam non evertit, sed perbelle confirmat. Quare postremum argumentum adduco, quo contendo illas Honorii epistolas a Monothelitis scribi non potuisse; breviter tamen, cum id luculentissime patebit ex capite sequenti, in quo earum orthodoxiam demonstrabo. Siquidem 1°. Cum Monothelitae nedum unam voluntatem, sed unam operationem in Christo admitterent; quare in epistola Honorii non scripserunt

vel *unam operationem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*; sicut (loquor in Adversariorum hypothesi) scripserunt, *unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*; cum praesertim a principio circa unam operationem lis fuerit exorta potius quam circa unam voluntatem? Vel quare saltem non scripserunt operationes Christi humanas esse mere passivas, humanamque Christi naturam moveri a divinitate, sicut corpus movetur ab anima: ita ut naturae humanae quidem sit passio, Dei autem operatio, sicut scripserat Sergius in sua ad Honorium epistola? Quae quidem ratiocinatio summopere valet contra Remum Bartolum, qui contendit Sergii epistolam a Monothelitis fuisse corruptam, ut responderet rescripto Honorii ab ipsis pariter corrupto; ponendo enim in epistola Honorii operationes humanas Christi mere passivas esse, melius utraque epistola respondisset. Certe cum corruperunt, vel supposuerunt has Honorii epistolas valde scrupulosi Monothelitae fuerunt! Et a quo Monothelita de illa voluntate humana, quam in Christo fatetur Honorius, illae rationes assignari potuerunt, quas Honorius assignat; cum ex iis luce clarius ostendatur, sicut ostendam, eam esse voluntatem humanam, et non voluntatem divinam? vel quis ex Monothelitis ad explicandas operationes Christi desumpsisset comparationem ex Dei actione qua homimes moti operantur, spreta comparatione corporis quod movetur ab anima? Et haec quidem satis sint pro prima Honorii epistola. Si enim alteram examinemus; quis unquam e Monothelitis scripturus fuisset naturas Christi *propria operantes atque operatrices* esse? Hoc enim scribendo, quid aliud dixissent nisi duas operationes necessario esse in Christo

admittendas ? Nedum ergo scrupulosi, sed et stupidi Monothelitae fuissent, dum talia supposuissent sub nomine Honorii scripta, ex quibus Monotheliticum commentum everteretur. Quod cum sine temeritate, ut parum dicam, affirmari nequeat; etiam ex hoc capite concludere oportet, Honorii epistolas genuinas, et non suppositas esse, quod in ipsis talia occurant, quae scribi a Monothelitis non potuerint.

Cum itaque nullus sive ante Concilium VI. sive postea, inficiatus sit, recitatas Eplas ab Honorio fuisse exaratas, omnes e contra, saltem quos novimus, ipsi eas attribuant; prodire insuper a Monothelitis non potuerint quod eorum instituto abhorreant; jure concludo, epistolarum Honorii genuinitatem nullo vel probabili argumento posse negari.

Atqui tamen eas a Monothelitis foede fuisse corruptas plurimi arbitrantur. Verum in decernendis sententiis, quae vel adjectae vel detruncatae sunt, minime inter se conveniunt.

Saepe citatus Episcopus Feltriensis concedit utique Honorium scripsisse in sua priori ad Sergium epistola: *unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*; sed affirmat adjecta fuisse a Monothelitis quae in ea de silentio unius vel duarum operationum habentur; quin imo cetera omnia, si ea excipias quae continentur sub numeris 3. et 4. (1)

Tamagninus e contra arbitratur, Honorium scripsisse: *Novam voluntatem fatemur Domini No-*

(1) *Ea quae in priori epistola numero* 3. *et* 4. *habentur, ab Honorio predicari; reliqua autem omnia, quae Christi operationes spectant, Monothelitae Honorio affinxerunt· Apolog. Cap.* XX *pag.* 151 *Edit. cit.*

stri Iesu Christi; et Monothelitas adjectivum *novam* commutasse in *unam* (1) Doctissimus Mamachius utrumque defendit; et adjectum a Monothelitis vocabulum *unam*, et reliqua quae unam operationem respiciunt; (3)

At tantorum vivorum pace dico, a Monothelitis corruptas Honorii epistolas non fuisse, neque quoad id quod unam voluntatem respicit, neque circa ea quae dicit de silentio unius vel duarum operationum.

Et quoad 1. Ex dictis omnino constat, a Joanne IV. Romano Pontifice, de iudicio et sententia etiam Ioannis Abbatis Symponi, qui Honorio a Secretis fuerat, illasque scripserat epistolas, explicatum fuisse quid Honorius significare voluerit per illa verba: *Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi.* Ioannes vero Symponus optime norat, an, et quo sensu vel Honorius dictaverit, vel ipsemet praefatam scripserit sententiam. Si autem vocem illam *unam* non scripsit, quare non respondit, nullimode vel a se vel ab Honorio tale quid scriptum fuisse, sed adiectum Monothelitarum, vel alius cujusque obscitantia et fraude; et e contra respondit se dixisse unam voluntatem habito respectu tantummodo ad voluntatem humanam? *Unam voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed solius humanitatis* (1) Ut itaque dicatur epistola prima Honorii interpolata Monothelitarum fraude quoad vocabulum *unam*, dicendus est vel stupidus

(1). In historia Monothelitarum Parisiis edita an. 1678.

(2) Orig. et Antiquit. Tom. VI. pag. 80, et seqq. Edit. Salviucci Romae 1851

(3) Ex S. Maximo in Dialogo cum Pirrho.

Joannes Symponus, qui non recordaretur an illam sententiam scripserit; quod admitti non potest, et quia esset vir pro condictione illorum temporum doctissimus, (1) et quia certe resumpsit exemplar epistolae a se scriptae, quo melius rem dignosceret, et accurate responderet Joanni IV. ipsum de re interroganti, et ex analysi epistolae ipsius catholicum Honorii sensum illa in conscribenda sententia defendenti; vel dicenda est etiam apologia Joannis IV. foede a Monothelitis corrupta; quod pariter admitti nequit, cum in ea catholico sensu dicta Honorii sententia exponatur; quod certe Monothelitae non fecissent. Ut itaque breviter rem exponam: non potest defendi a Monothelitis adiectum fuisse vocabulum *unam* substantivo *voluntatem*, quin dicamus, ab eis fuisse corruptum etiam exemplar epistolae Honorii, quod asservabatur in Romano archivio, quodque sub oculis habuit tum Joannes IV. tum Symponus, cum illam pro Honorio apologiam scriberent, argumentis ex ipsa Honorii epistola deductis, quod certe nullus probabit; tum quod Romae Monothelitae non essent, tum quia Joannes Symponus, qui epistolam illam scripserat, et sententiae illius meminerat, et interpolationem, ut par est, cognovisset. Quibus addendum puto a Monothelitis omnibus semper fuisse Honorium profligatum, quod in sua epistola scripserit *unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*; a nullo catholicorum tamen, neque ab iis ipsis, qui Honorii defensionem ex animo

(1) Id constat ex S. Maximo in Dialogo cit, qui vocat Symponum virum *conspicuum, quod pietatis dogmatibus universum illustravit occidentem.*

suscepere unquam negatum Honorium talem protulisse sententiam; quod credibile ne est, si saltem fuissent aliquam fraudem suspicati?

Sed neque concedendum puto a Monothelitis adiecta ea omnia quae respiciunt oeconomicum silentium circa unam vel duas Christi operationes. 1. quidem ex suppositione; nam Honorius certo certius respondit iis omnibus, de quibus a Sergio interrogabatur; ab hoc autem monitum fuisse de capitulo VII. satisfactionis inter Cyrum et Theodosianos, de oppositione a Sophronio facta eidem capitulo, de dissensionibus inde obortis, de periculis circa fidem ea de causa imminentibus, atque de silentio servando circa unam, vel duas Christi operationes; dum agerem de epistola Sergii, argumentis non spernendis probavi. Ut itaque eodem fere argumento utar, quo utitur Rm̃us Bartholus ab probandam epistolarum illius corruptionem per Monothelitas: Honorius ad ea, de quibus a Sergio monebatur, certe respondere voluit, imo pro officio, quo fungebatur, debuit. Atqui Honorius a Sergio monitus et interrogatus fuerat de una vel duabus Christi operationibus. Ergo de operationibus in suis epistolis locutus est.

Sed 2. de facto instituisse de operationibus sermonem, invicte probo ex epistola S. Agathonis ad Imperatores pro celebratione Synodi VI., (1) in qua sanctus Pontifex affirmat, praedecessores suos semper obstitisse Monotheliticae pravitati: « Unde « et apostolicae memoriae meae parvitatis prae- « decessores dominicis doctrinis instructi, ex quo « novitatem haereticam in Christi immaculatam

(1) Habetur apud Harduinum Tom. III. Concilior. pag. 1319. Edit. Paris.

« Ecclesiam Cptanae Ecclesiae praesules introdu-
« cere conabantur, numquam neglexerunt eos hor-
« tari, ut a pravi dogmatis haeretico errore, sal-
« tem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium dis-
« sidii in unitate Ecclesiae facerent unam volunta-
« tem, unamque operationem duarum naturarum
« asserentes in uno Domino Nostro Iesu Christo.

Quo in testimonio; qui pravo dogmati Monothelitarum obstitit, silentium indicendo, certe fuit Honorius. At universae sententiae quae in epistolis eius silentium respiciunt, versantur circa operationes Christi, ut patebit epistolam legenti, et capite sequenti luculentius exponam. Ergo de operationibus in suis epistolis Honorius locutus est.

Quibus si quis addat, accuratam collationem institutam esse in VI.synodo primae eius epistolae cum *authentica epistola latina*, quae asservabatur in tabulario Ecclesiae Cptanae; et quidem non ab aliquo Graeco, sed a Ioanne Episcopo Portuensi occidentalis Ecclesiae ad synodum legato, eamque cum authentico exemplari in omnibus concordare fuisse repertam, demonstratio confecta videri posset. Siquidem non alia ratione refutaretur, nisi affirmando, vel acta Synodi VI. in his quae respiciunt Honorium supposita et interpolata; vel ipsum authenticum exemplar Latinum fuisse Monothelitarum fraude corruptum; at acta sextae Synodi esse incorrupta huius Dissertationis decursu demonstrabo; fuisset vero certissime deprehensa corruptio exemplaris authentici, sive ex literarum diversitate, sive ex additamentis, quae ad illud facta essent, quae tot esse debuere, quot (et fortasse plura) fuere additamenta quae citatus auctor facta a Monothelitis in epistola Sergii affirmat, sive ex

numeris qui non respondissent, sive ex aliis indiciis; et demum certissime ex collatione cum epistolis Honorii ipsius, quarum exemplaria Legati e Romanae Ecclesiae Archivio secum Cplim detulerant.

Eia tamen; videamus quaenam a Mamachio, qui ceterorum etiam difficultates collegit, in medium afferantur ad probandam harum corruptionem epistolarum. Et quidem circa illam sententiam: « unam « voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi; *to « unam*, inquit, (1) *quod cadit in voluntatem, fuis- « se ab haereticis adiunctam defendo* ». Atque ad rem probandam utitur sequenti S. Maximi testimonio in Tomo dogmatico ad Marinum Presbyterum. « Abbas Anastasius e seniore Roma reversus . . . « qui dixit diu multumque cum magnae illic Ec- « clesiae sacratissimis viris sermonem contulisse « eius, quam ad Sergium scripserant, epistolae gra- « tia sciscitando, quid causae esset, ac quomodo una « voluntas illi inserta esset, invenisseque eius causa « dolentes ac excusantes; praetereaque, qui iubente « Honorio, hanc latine dictaverat, sanctissimum Ab- « batem Ioannem ei ab epistolis adiutorem, affir- « mantem, nullo modo in ea per numerum unius « prorsus voluntatis mentionem fecisse, licet hoc « nunc confictum sit ab iis, qui eam in graecam « linguam converterunt ». *Quo sane testimonio*, subdit Mamachius, *nil dici clarius luculentiusque potest.*

At e contra; verba S. Maximi citata trahi non possunt ad corruptionem, sed ad falsam interpretationem verborum *unius voluntatis*, quam monothe-

(1) Tom. cit. pag. 81.

litae de illis verbis faciebant, idque constare contendo ex ipso S. Maximo, cuius testimonium vir doctissimus non expendit. Siquidem 1. Abbas Anastasius non invenisset sacratissimos viros Ecclesiae Romanae dolentes et excusantes, seu defendentes sensum et doctrinam in Epistola Honorii contentam, sed prorsus negantes et irascentes in Monothelitarum fraudem et impudentiam, quod tanta moliti essent in ipsum R. Pontificis rescriptum. Et quomodo excusare se poterant, quod talia in eo reperirentur si unam voluntatem numquam vel dictasset, vel approbasset Honorius, vel si ipsimet de una voluntate dicenda numquam cogitassent? Profecto se excusare de aliquo facto, est facti illius existentiam admittere; qui enim nihil fecit de quo accusatur, non se excusat, sed negat; atque viri illi de cetero ab omni criminis imputatione etiam Honorium purgassent tum apud Anastasium abbatem rem sciscitantem, tum apud universum catholicum orbem, in medium producendo exemplar epistolae ipsius, in qua deesset *to una*, quod adiectum a monothelitis affirmat Mamachius ex citatis S. Maximi verbis. Neque ei ullimode adiumento sunt quae S. Martyr de Ioannis Symponi affirmatione refert, cum etiam ea de falsa interpretatione dictorum verborum per monothelitas, et non de interpolatione *to una* intelligenda sunt. Siquidem dum dicit: *se nullo modo in ea* (epistola) *per numerum mentionem fecisse unius prorsus voluntatis*; vult intelligere, se de divina et humana Christi voluntate unam cum monothelitis voluntatem non fecisse; non quod *unam voluntatem* non scripserit, acceptam pro voluntate humana; siquidem in casu vere affirmasset *se per numerum mentionem nullo modo fecisse unius pror-*

sus voluntatis; nam de facto duas voluntates in Christo admisisset.

Hunc de cetero esse S. Maximi sensum evidenter tum ex contextu orationis, tum ex dialogo cum Pirrho apparet. Etenim ante citata a Mamachio verba, postquam S. Maximus multa disseruerit de affectuum et passionum ratione, quarum quidem aliae « humanam naturam ut propriae notae insigniunt, « aliae vero prorsus adulterant ; » atque affirmaverit Christum illas propter nos sponte essentialiter assumpsisse, *ut et naturam adstrueret*, *et quae adversus nos erat condemnationem dissolveret*; has vero *propensa humanitate certa dispensatione, indulgentiusque arrogasse*, postquam, inquam, S Maximus haec edixerit, de Honorio ita loquitur : « Quin Romanae Ecclesiae Papam Honorium, inna« tas geminas in Christo voluntates haud putem « reprobare epistola sua ad Sergium, eo quod unam « voluntatem dixerit; sed magis suffragari, easque « merito adstruere; qui nempe hoc dicat, non ad « humanam ac naturalem Salvatoris elidendam vo« luntatem, sed ut eius sine semine conceptui ac « incorrupto partui nullam carnis voluntatem, aut « libidinosam cogitationem ostendat praeivisse » : atque illam fuisse Honorii mentem plurimis argumentis ostendit. Interea ipse non negat ab eo scriptum *unam voluntatem*; qua de causa sine contradictione scribere non potuit, illud *unam* adiectum a Graecis, cum dixit abbatem Ioannem affirmasse se nullo modo *per numerum unius voluntatis mentionem fecisse, licet hoc nunc ab eis confictum sit qui epistolam graece reddiderunt*; sed dicendus est de interpretatione locutus a Graecis instituta circa illam unam voluntatem, quam

Rom. Episcopus fatetur. Quod quam vere affirmem, patet ex sequentibus eiusdem S. Maximi verbis: (1) « Et, ut summa dicam, per unam voluntatem hoc eum « significare existimo; nempe solam divinam volun-« tatem, eius secundum carnem generationi praei-« visse (2). » Quod vero ait « non esse voluntatis « differentiam, hoc est, non habere contrariam vo-« luntatem aut repugnantem, sed quae omnino con-« sentiat, ac sit unita. Idcirco, tum quidem cum na-« turam nostram a deitate assumptam dicit, unius « meminit voluntatis; cum vero illud affert. » *Non veni ut facerem voluntatem meam*; (3) tum *omisso numero: non sunt haec*, inquit, *diversae voluntatis*, « hoc est contrariae et adversantis; ex quo palam « conficitur, esse in Christo duas naturales volun-« tates. Nam si contrariam ut homo non habuit, « naturali praeditus fuit...Itaque verisimile est eos « mentiri ac subdere, quod ille in suis veris ser-« monibus non scripsit; hocque moliri adversarios, « ut opinioni suae, quae plane non optima sit, ex « viri litteris velamentum quaerant, quae contra eius « mentem male interpretentur. Suffragatur enim « illi ratio, quae omnem procul calumniae vim at-« que insultum amoliatur. Ex quibus duo consequuntur; primo quidem, S. Maximum iterum affirmare ab Honorio scriptum *unam voluntatem*; eamque

(1) Migne Tom. cit. col. 243.

(2) Haec expositio ab ipso S. Maximo datur quin tamen eam veram iudicet. Etenim in Dialogo cum Pirrho, assumpta auctoritate Ioannis Symponi, omnino contendit verba illa: *unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*, esse intelligenda de voluntate humana, et de humana voluntate esse pronuntiata. Neque, ut debita erga eum reverentia id dicam, haec eius expositio vera censeri potest.

(3) Ioan. VI. 38.

per numerum posuisse, quod voluntatem tantummodo divinam exprimeret, quae praeiverit Christi generationi secundum carnem; omisisse vero numerum cum diceret: *Non sunt haec diversae voluntatis*; quod haec verba duas voluntates exprimerent; 2. vero graecos mentiri, dum praedicta verba contra Honorii mentem male interpretentur. Si igitur Graeci male interpretabantur Honorii sententiam, ergo illud *unam* non addiderunt; qui enim corrumpit aliquod testimonium, illud non interpretatur. Quin imo, post obiectum a Mamachio testimonium, in quo affirmat S. Maximus, ab Anastasio Abbate dolentes et excusantes inventos fuisse sacratissimos Romanae Ecclesiae viros pro illa *una voluntate*, qua Monothelitae abutebantur; atque ab Ioanne Sympono epistolae scriptore dictum, se nullo modo per numerum unius voluntatis mentionem fecisse; subdit, eos vere et sincere prorsus eo sensu exposuisse citatam sententiam, licet Graeci eam falso exponerent: « Haec « itaque ubi illos excusasse cognovi, (1) oppido « miratus sum eorum diligentiam ac solertiam; « vicissimque horum etiam obstupui malignos mores « ac vafritiem, qui hoc uno omnia audeant, ac « sicut olim illis consuetum est, sic et nunc in « more positum habent, ut furto quaesitis falsisque « expositionibus, eos ipsos qui strenue adversus illos « decertant, absurde prorsus ad se trahant, eorum- « que mentem, quae nihil faveat, sibi attribuant. » Graeci igitur falsis expositionibus, non corruptione epistolarum, mentem Honorii ad probandam haeresim suam trahebant; (2) quare sensum confingen-

(1) Ex hoc intelligimus verbum *excusare* significare exponere sensum epistolae, illumque a pravis interpretationibus defendere.

(2) Id patet etiam ex Apologia Ioannis IV pro Honorio, in qua scriptum est; *Quod quidam* (id est Monothelitae) *ad pro-*

bant, non verba; sin minus enim, nonne negare debuisset S. Maximus ab Honorio scriptum *unam voluntatem*, atque dicere a Graecis adiectivum illud *unam* fuisse assutum substantivo *voluntatem*? at id nunquam affirmat, sicut nunquam negat, Honorium unam voluntatem scripsisse, neque hoc in Tomo ad Marinum, neque in Dialogo cum Pirrho; in quo idipsum pariter concedit, intellecta tamen sententia de humanae naturae voluntate, non autem de divina. « Quid de « Honorio quod respondeas habes, *inquit Pirrhus*, « (1) qui aperte datis ad decessorem meum li- « teris, unam voluntatem Domini nostri Iesu « Christi tradidit? *Maximus*: Quis fide dignus « istiusmodi epistolae interpres? is, qui eam ex « persona Honorii scripsit... an ii, qui Constan- « tinopoli loquuntur quod in mentem venit? *Pirrhus*: « Qui eam composuit. *Maximus*: Is igitur ipse, « cum ad sanctum Constantinum Imperatorem, ex « persona rursus S. Ioannis Papae de hac epistola « scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in « Domino, non divinitatis eius et humanitatis, sed « humanitatis duntaxat. »

Cum itaque aperte adeo fateatur S. Maximus Honorium unam voluntatem dixisse in sua priori ad Sergium epistola, atque de cetero diserte dicat, Graecos eam falsis commentis interpretari et exponere, ut suam communiant haeresim etiam illorum

prium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum (Honorium) *voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.* Confictum igitur a Graecis est, quod per numerum mentionem Honorius fecerit unius voluntatis, convertendo ad proprium sensum illius sententias, quasi hic divinitatis et humanitatis Christi unam docuerit voluntatem.

(1) Tom. cit.

auctoritate, qui eis adversantur; non est, cur vim facere S. Maximi verbis debeamus, quasi ipse affirmaverit a Graecis additum adiectivum *unam*, quod dicat, Ioannem Symponum non fecisse mentionem per numerum unius prorsus voluntatis.

Videntur tamen Mamachio post S. Maximi et Ioannis IV. tempora, multa a Monothelitis addita Honorii epistolis, multa ex eis detracta; 1. quidem, quia iuxta Ioannem IV. in sua pro Honorio Apologia, Sergius ad hunc scripserat solum de contrariis voluntatibus, non vero de operationibus; ad quod probandum his Ioannis verbis utitur: « Sergius praedicto sanctae recordationis Romanae « Urbis Pontifici significavit, quod quidam in Re- « demptore nostro Domino Iesu Christo duas contra- « rias dicerent voluntates; quo praefatus Papa com- « perto, rescripsit etc. »

Cum vero in epistola Honorii, quae lecta est actione XII. Synodi VI., et qualem nos habemus, nihil sit de contrariis voluntatibus, plurima vero de operationibus, concludit doctissimus scriptor, illa quidem detracta, haec vero addita a Monothelitis huic epistolae fuisse.

2. Quia haeretici non contenti fuissent opponere de Honorii epistolis unam voluntatem, si unam item operationem in litteris eius commemorari vidissent, atque insuper in iis Sophronium accusatum legissent, propterea quod nova vocabula inducere esset ausus contra Cyrum unam operationem conversis ex haeresi praedicantem.

3. Quia S. Maximus in analysi, quam instituit de prima Honorii epistola, silentio praetereat quae de operationibus in ea reperiuntur; non praeteriturus certe, si quid prolatum de iis ab illo reperisset.

Ut itaque ad primam difficultatem respondeam, dico a principio; eam solutam esse Cap. IV. huius dissertationis, dum pertractavi contra Remum Bartholum (a quo hanc, et ceteras difficultates Mamachius accepit) de integritate Epistolae Sergii ad Honorium; ibi enim animadverti, ex una periodo et quidem prima epistolae, in qua nihil hic dicit de contrariis voluntatibus, concludi non posse ad sensus in universa epistola contentos. Hinc concedendum non est, nihil in citata epistola haberi de contrariis voluntatibus, ut Mamahius affirmat. (1) Siquidem cum Honorius scribit: « Nam lex alia in membris, aut voluntas diver-« sa, non fuit, vel contraria Salvatori, quia super le-« gem natus est humanae conditionis ». Insuper dum « dicit: » Et si quidem scriptum est: non veni facere « voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris... « non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensatio-« nis humanitatis assumptae; » dum, inquam, haec dicit Honorius, quid aliud dicit nisi in Christo duas contrarias voluntates non fuisse? Ideo vero Ioannes IV. circa caput voluntatum insistit, quod Honorii verbis: *Unde unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi* Monothelitae abuterentur; non vero vocabulis unius vel duarum operationum; nunquam enim ille scripserat: *Unam operationem fatemur Domini nostri Iesu Christi.* Manifestum est autem, a defensore purgari reum a criminibus, de quibus accusatur, non ab iis, de quibus nulla ab accusatoribus quaestio movetur. Ideo vero Honorius in sua epistola ab

(1) Cum autem nihil legatur eorum, quae ab Sergio fuisse Honorio proposita Ioannes scribit: Tom. cit. pag. 83.

operationibus exorditur, quod ab illis exorsus Sergius fuerat. De cetero; si ex quo Ioannes IV. memorat, Sergium scripsisse solum de iis qui dicerent in Salvatore duas contrarias voluntates, sequeretur excludendum esse ab utriusque epistolis sermonem de operationibus ; sequitur pariter ab Honorio scriptum *unam voluntatem* , ex quo in citata Apologia Ioannes IV. id ab eo scriptum fateatur.

Utique deinceps non praetermisissent Monothelitae urgere ex his epistolis contra Catholicos vocabulum unius operationis, sicut urgebant vocabulum unius voluntatis; sed tamen si reperissent ab Honorio scriptum *unam operationem* sicut reperiebant scriptum *unam voluntatem*: at numquam *unam operationem* scripsit Honorius, cum circa huiusmodi vocabulum rigorosum silentium indixerit; quin imo monothelitae nullam hac de re accusationem inferre ei poterant aut debebant; cum enim ipse scripserit in prima sua epistola *utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una, an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi*; *ad nos ista pertinere non debent* etc. quid aliud scripsit, quam humanitatem Christi suam operationem exseruisse ? ut interea praetermittam ea quae dicit in secunda sua epistola de Christi naturis , *propria operantibus atque operatricibus* ; quam epistolam numquam monothelitae allegarunt, quod ea, ut ego arbitror, abuti omnino non possent.

Et haec quidem ut cum Mamachio liberalis sim; etiamsi enim ipsi concedam numquam monothelitas abusos Honorii nomine fuisse ad adstruendam unam operationem; abusi tamen certissime sunt eius au-

cloritate ad indicendum circa operationum vocabula silentium, et quidem in ea synodo quam Sergius praemisit Ecthesis evulgationi. Id testatur aperte S. Maximus in epistola ad Petrum Illustrem, (1.) in qua haec ea de re loquitur.,, De quibus omnibus « miseri nec sensus apostolicae facti sunt sedis; et « quod est risu; imo, ut magis proprie dicamus, la- « mentatione dignissimum, utpote illorum demon- « strativum audaciae, nec adversus ipsam apostolicam « sedem mentiri temere pigritati sunt; sed quasi « illius effecti consilii, et veluti quodam ab ea re- « cepto decreto, in suis contextis pro impia Ec- « thesi actionibus, secum magnum Honorium acce- « perunt, suae praesumptionis ostentationem ad alios « facientes, viri in causa pietatis maximam emi- nentiam.,, Cum autem haec Sergii fidei expositio Heraclii nomine vulgata silentium indiceret circa operationes Christi; patet quod et Honorius idem silentium in sua indixerit epistola; secus enim quomodo abuti ea poterant? quomodo affirmare silentium indicere illud ex apostolicae sedis recepto decreto? (2.)

Nescio vero, undenam acceperit Mamachius Sophronium accusatum ab Honorio fuisse quod nova vocabula inducere ausus sit contra Cyrum unam operationem conversis ab haeresi praedicantem; siquidem ea quae epistolae suae initio de Sophronio dicit Honorius, non sunt accusatio, sed narratio quae-

(1.) Migne Patrolog. Graec. Tom. 91. col. 143.

(2.) De cetero hanc Ecthesim, teste S. Maximo, integram fere ex Theodori Pharanitae verbis Monothelitae contexuere: *Quem, Theodorum etiam adversarii suae opinionis doctorem, ac patronum proferunt; omnem fere ex eius verbis formantes atque dictantes, quam ecthesim ediderunt, ac fidei formulam.* At relate tantummodo ad professionem fidei; quod enim attinet ad operationes contexta est ipsis Sergii verbis quae habentur in epistola ad Honorium.

dam historica circa exortam quaestionem, qualem desumpserat ex ipsius Sergii epistola: quod ut evidenter constet, verba ipsius recito. Scripta fra-« ternitatis vestrae suscepimus, per quae conten-« tiones quasdam, et novas vocum quaestiones co-« gnovimus introductas per Sophronium quemdam « tunc monachum, nunc vero ex auditu episcopum « Hierosolymitanae urbis constitutum adversus fra-« trem nostrum Cyrum Alexandriae antistitem, unam « operationem Domini nostri Iesu Christi conver-« sis ex haeresi praedicantem. » Ex quibus luce clarius constat, nil aliud agere Honorium, quam ea repetere quae a Sergio scripta fuerant; siquidem ex epistolis eius dicit se cognovisse novas vocum quaestiones per Sophronium introductas. At his verbis eum minime Sophronium accusare, patet, et ex quo Sergium laudet de silentio utrique vocabulo imposito, et ex quo praecipiat ut nemo praesumat *unam vel duas energias Christi Dei praedicare*, et insuper huiusmodi vocabula grammaticis dimittat: *ineptum vero satis* dicat in secunda epistola *sentire et promere unius operationis vel duarum fuisse Dominum Iesum Christum*; et quod demum affirmet se scripsisse tum Cyro, tum Sophronio, *ne novae vocis, id est unius vel geminae operationis vocabulo insistant vel immorentur*. Si igitur citato per Mamachium testimonio Honorius accusat Sophronium quod duas operationes vocet *novas vocum quaestiones*; accusabit pariter Cyrum, quod unam operationem appellet *novitatem*, *et quid ineptum* illudque insuper vocabulum proscribat; non enim duarum tantummodo operationum vocabulo, sed etiam unius silentium indixerat. Non poterant igitur

Monothelitae recitata Honorii verba contra Catholicos urgere; ne hi argumentum in ipsos retorquerent; et assumptis aliis illius sententiis circa Christi operationes , quae tum in prima , tum in altera habentur epistola , eos omnino profligarent.

Quid autem harum integritati epistolarum nocet, quod S. Maximus tum in dialogo cum Pirrho tum in Analysi quam de his instituit (1) silentio omnino praetereat quae de operationibus habentur? Imprimis hoc argumentum est negativum; deinde quaenam consequentia haec est: S. Maximus locutus non est de iis quae circa operationes Christi leguntur in epistolis Honorii ; ergo de operationibus Honorius neque verbum protulit? Hoc argumento, ut quisque videt, posset negari integritas plurimorum operum, quae immutilata omnes agnoscunt; si ex gr. aliquis circa ea analysim instituens nonnulla praetermitteret.

E contra ; in ipsum Mamachium negantem ab Honorio scriptum unam voluntatem, ego argumentum retorquere possem. Si enim negandum est, eum aliquid scripsisse circa operationes, quod neque Monothelitae, neque S. Maximus cum iis disputans, de iis Honorium locutum esse affirmarunt, profecto hic scripsit *unam voluntatem*, quod et S. Maximus, et Monothelitae affirmarunt semper , id ab eo scriptum. De cetero in hisce quaestionibus , attendendus est semper scopus auctoris. S. Maximus autem sibi proposuerat Honorium purgare ab iis, de quibus a Monothelitis accusabatur; non accusabatur autem quod negasset duas operationes, sed duas voluntates ; quare mirum non est , si aliud caput

(1) In Tomo ad Marinum loc. cit.

de operationibus praetermittat; cum quo enim disputasset, cum ea de re a nemine redargueretur Honorius?

Nullimode igitur harum integritas Epistolarum obiectis difficultatibus evertitur; quare iterum concludo ita ab Honorio fuisse scriptas, ut actione XII Synodi VI. recitatae fuere.

CAPUT VII.

DE ORTHODOXIA EPISTOLARUM HONORII AD SERGIUM CONSTANTINOPOLITANUM

Argumentis intrinsecis et extrinsecis orthodoxiam harum epistolarum propugnabo. Si enim analysi in iis instituta, ab omni errore immunes demonstravero; si patuerit insuper testes synchronos et auctoritatem habentes undequaque catholicas eas iudicasse; nescio qua ratione de earum orthodoxia dubitare quis poterit.

Sic igitur argumentum statuo.

Epistolae quae fidei Chalcedonensis professionem proponunt; et duas in Christo voluntates et operationes adstruunt, etsi operationum materiali suppresso vocabulo ad novas quaestiones vitandas, ab omni monothelitica pravitate sunt immunes; atqui epistolae Honorii ad Sergium fidei Chalcedonensis professionem proponunt; et duas in Christo voluntates et operationes adstruunt, etsi operationum materiali suppresso vocabulo ad novas quaestiones vitandas. Ergo epistolae Honorii ad Sergium ab omni monothelitica pravitate sunt immunes. (1).

Antequam, probem minorem quoad singulas partes, praemitto nonnulla generalia argumenta, quae apodicticae demonstrationis loco sunt habenda.

(1.) Hic ordo est conformis Honorii epistolae; siquidem ipse postquam n. 1. statum quaestionis proposuerit; a n. 2. ad 3. fidem adstruit, quam omnes sequi debeant; a n. 3 ad 5. agit de voluntatibus; a quo ad 7. de operationibus; et nn. 7. et 8. quae supra exposuerat, breviter perstringit Haec epistola ordine eximio confecta est.

Et 1. Has epistolas a Synodo Romana, quam praemisit Honorius antequam Sergio responderet, confectas fuisse, satis manifestum puto ex S. Maximo, qui in Tomo ad Marinum affirmat, a sacratissimis viris Romanae Ecclesiae eas fuisse conscriptas: « Certiorem autem ipsum, sensum, reddidit « sanctissimus presbyter dominus Abbas Anastasius « e seniore Roma reversus, vir, si quis alius, di« vina virtute ac prudentia ornatus; qui et dixit, « diu se multumque cum magnae illic Ecclesiae sa« cratissimis viris sermonem contulisse, eius, quam « ad Sergium scripserant, epistolae gratia; sciscitan« do quid causae esset, ac quomodo una voluntas « illi inserta esset; invenisseque eius rei causa do« lentes ac excusantes; praetereaque, qui iubente « Honorio hanc latine dictaverat, sanctissimum « Abbatem Ioannem, ei ab epistolis adiutorem, « affirmantem nullo modo in ea per numerum « unius prorsus voluntatis mentionem fecisse. »

Qui autem erant sacratissimi illi Romanae Ecclesiae viri qui epistolam scripserant, nisi ii qui Synodum Romanam constituebant, et quos in negotiis magni momenti R. Pontifex interrogabat, eorumque opera utebatur? Non enim ad viros quoscumque Ecclesiae Romanae sese contulit Anastasius Abbas, sed ad illos a quibus sciscitaretur, quo sensu unam voluntatem in epistola ad Sergium posuerint. Hi vero nulli alii esse poterant quam ii, quorum consilio epistola fuerat conscripta, redacti nempe sensus, quibus illa esset conficienda; qui certissime erant illi qui Romanam Synodum efformabant; quod adeo verum est, ut Abbas Ioannes latino quidem idiomate, iubente Honorio, epistolam dictaverit, non autem composue-

rit, ut ex citato S. Maximi testimonio apparet. Honorius itaque prius negotium cum Synodo sua contulit, et acceptis omnium sententiis, Ioanni Sympono sibi in epistolis scribendis adiutori, eas latino idiomate exarandas dimisit. At ex his illico concludo, non posse has epistolas ut haereticas traduci, nisi prius universam Romanam Synodum et Ioannem Symponum ut Monothelitas traducamus. Quando vero monothelitae Romae inventi sunt? aut quis unquam e sacratissimis viris Romanae Ecclesiae Monothelismo favere inventus est? Nonne vix abuti Monothelitas cognoverunt Honorii epistolis, quo proprium novitatis commentum tuerentur, omnino eis obstitere, tum aliis factis et dictis, tum earum sensus exponendo? Non ergo haeretica intentione eas conscripserunt, sed animo plane catholico; non ergo sententiae, quae in suspicionem veniunt, sensu Monothelitico dictae sunt, sed eo prorsus, quo deinceps eas exposuere; non ergo Honorii epistolae haeresim monotheliticam sapere dici possunt; sed catholicam doctrinam.

Ulterius, Ioannes IV. in Reclamatione Sedis Apostolicae, seu Apologia pro Honorio affirmat, omnes Occidentales partes scandalo fuisse affectas tum propter nova dogmata, quae Pirrhus praedicaret; tum quod ad « proprium sensum sanctae memoriae Honorium Papam attrahere festinaret. » Universi igitur Occidentalis Ecclesiae Episcopi a quolibet errore Honorii epistolas immunes iudicabant, cum scandalo percellerentur, quod Pyrrhus falsa ratione eas exponeret; neminem deinceps e catholicis ante illum haereticos sensus harum epistolarum suspicatum esse satis manifestum est ex citatis Ioan-

nis verbis. De quo enim scandalizati fuissent, cum Pyrrhus illa de Honorio diceret, si ante ipsum apud catholicos occidentales hae epistolae in suspicionem venissent?

Et ut brevi rem conficiam; tempore, quo Ioannes IV. Apologiam scribebat, tribus scilicet annis ab Honorii morte, qui haereticas traducebant huius epistolas, erant Monothelitae; qui vero affirmabant eas esse undequaque catholicas, idque probabant, erant totius Occidentalis Ecclesiae episcopi una cum Romano Pontefice; ad quos ergo fidem accommodabimus? ad Monothelitas ne de haeresi eas damnantes, vel ad Romanos Pontifices cum universo Occidente contrarium suadentes? Quis horum melius sensum epistolarum agnovit? (1) Profecto nisi velimus dicere, et Occidentis episcopos, et Romanam synodum, et Romanos Pontifices, et eos qui epistolas scripserunt et ignorasse quae scriberent, et nequivisse percipere quae in his epistolis habebantur; aut eos turbam impostorum fuisse, qui coram universo orbe catholico et ipsis Monothelitis mentiri vellent, atque persuadere, argumentis ex epistolis ipsis deductis, eas esse catholicas dum haereticae essent; nisi, inquam, haec dicere velimus, standum esse oportet horum omnium sententiae; dummodo nos pluris non faciamus haereticorum, quam catholicorum iudicium; pluris opinionem eorum, qui documenta interpretantur, quam qui ea

(1.) Hoc argumento utebatur S. Maximus in Dialogo cum Pyrrho *Quis fide dignus istiusmodi epistolae interpres? qui eam ex persona Honorii scripsit . . . an ii qui Cpli loquuntur quod in mentem venit?* Pyrrhus: *Qui eam composuit.* Ii quapropter, qui haereticas Honorii epistolas traducunt, non poterunt argumentum respuere, quod ipsi Pyrrho undequaque validum videbatur,

confecerunt; pluris eorum sententiam qui aliorum mentem, quam qui propriam exponunt.

Et quidem praetermitto S. Maximum qui in epistola ad Petrum Illustrem Honorium reponit inter eos Romanae sedis Antistites, tum praestantissimos quoscumque qui haeretico huic dogmati obstitere; (1) praetermitto ipsum Pirrhum unum e Monothelitarum principibus palinodiam coram S. Maximo has epistolas exponente, quodammodo canente, et affirmante decessorem suum (Sergium) deceptum fuisse; (2) praetermitto demum Anastasium Bibliothecarium asserentem Romanae Ecclesiae fidem neque per Honorium fuisse maculatam (3) Hos inquam, praetermitto; cum argumentis intrinsecis rem dirimere velim.

Et 1°. affirmavi, Honorium in suis epistolis fidei Chalcedonensis professionem proposuisse. Id vero manifestissime patet, tum ex quo praecipiat ambulandum in ea fide, quae omnibus tradita esset. *Nos enim in quo percepimus oportet ambulare*; et paullo post: *Ducum nostrorum semita gradien-*

(1) *Quae hos* (Monothelitas) *non rogavit Ecclesia? quis pius et orthodoxus non supplicavit Antistes cessare illos a propria haeresi clamando et obtestando? Siquidem ultima sua expirabat sacer Arcadius* (erat hic Cypri episcopus Monothelitarum impugnator acerrimus) *et spiritum Deo tradebat; sed neque usque ad horam illam eos rogare cessavit. Quid autem et divinus Honorius? quid vero et post illum Severinus senex? quid denique et is, qui post hunc extitit sacer Ioannes? Porro is qui nunc praesidet beatissimus Papa* (Theodorus) *omisit quidquam supplicationi conveniens?* Migne. Patrol. Graec. Tom. 91. Col. 143.

(2) *Meus decessor, vocis errore deceptus, hoc simplicius accepit.* Disput. cum. Pirrho. Migne Tom. cit. col. 330.

(3) In Epistola ad Ioannem Diaconum haec Anastasius dicit; *In apostolicae sedis petra, quantum ad fidem pertinet, nec etiam per Honorium inventum esse unquam serpentis, id est virulentae sectae venenum.*

tes; quae alia esse non poterat quam fides Chalcedonensis, in qua tantummodo contra Eutychianos et Nestorianos, quos hac ipsa sua epistola impugnandos assumit, definitum fuit, duas esse in Christo naturas in unitate personae divinae; tum ex ipsa fidei professione, quam ab initio huiuscemodi emittit: « Confitentes Dominum Iesum Christum Mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media « humanitate Verbo Dei naturaliter unita; eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque « inconvertibiliter plena divinitate; et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et « carneus effectus plene Deus et homo; passiones « et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utrisque naturis, Verbum caro factum, « et habitavit in nobis, ipse Filius hominis de coelo « descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, « crucifixus Dominus maiestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones; « et non de coelo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice etc. » Iam vero in recitata fidei professione nihil contineri, quod catholicis dogmatibus adversetur, et in fide Chalcedonensi non contineatur, evincitur, ex quo decernat omnes confiteri debere duas Christi naturas in unitate personae divinae copulatas, cui ratione communicationis idiomatum seu attributorum, tribuendae sunt etiam passiones humanae; *cum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones.*

At quid aliud in Synodo Chalcedonensi fuerat, nisi hoc ipsum, definitum? En definitio (1). Sequen-

(1) Habetur Act. V. Concil. Chalc. apud Labb. Tom. IV. Conciliorum.

« tes igitur Sanctos Patres, unum eumdemque con-
« fiteri Filium et Dominum Nostrum Iesum Chri-
« stum consonanter omnes docemus; eumdem per-
« fectum in deitate, et eumdem perfectum in huma-
« nitate, Deum verum et hominem verum, eum-
« dem ex anima rationali et corpore, consubstan-
« tialem Patri secundum deitatem, consubstantia-
« lem nobis secundum humanitatem....unum eum-
« demque Christum, filium, Dominum Unigenitum
« in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indi-
« vise, inseparabiliter agnoscendum, numquam su-
« blata differentia naturarum propter unitionem, ma-
« gisque salva proprietate utriusque naturae, et in
« unam personam atque substantiam concurrente,
« non in duas personas partitum aut divisum, sed
« unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum
« Verbum, Dominum Iesum Christum, sicut ante
« prophetae de eo, et ipse nos Iesus Christus eru-
« divit, et Patrum nobis symbolum tradidit ».

Cum itaque fidei professio ab Honorio praescripta identica sit cum fide Chalcedensi; aut utramque, aut neutram reprehendant oportet, qui Honorii fidem reprehendunt.

Verum non tam a tradita Chalcedonensis fidei professione, quam ex epistola dogmatica S. Leonis I. ad Flavianum, suam loquendi rationem eum desumpsisse, sat manifestum puto ex utriusque epistolae collatione. Conferantur enim recitata Honorii verba cum his S. Leonis. « Salva igitur proprie-
« tate utriusque naturae et substantiae, et in
« unam coeunte personam, suscepta est a maiestate
« humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mor-
« talitas; et ad resolvendum conditionis nostrae de-
« bitum, natura inviolabilis naturae est unita pas-

« sibili, ut, quod nostris remediis congruebat, unus « atque idem mediator Dei et hominum, homo « Iesus Christus, et mori posset ex uno et mori non « posset ex altero ».

Idem cum his aliis « Agit enim utraque forma « cum alterius communione quod proprium est; « Verbo scilicet operante quod Verbi est, carne « exequente quod carnis est. Unum horum coruscat « miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Ver- « bum ab aequalitate paternae gloriae non reces- « sit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. « Unus enim idemque est vere Dei Filius, et vere « hominis Filius ».

Item cum sequentibus: « Propter hanc unitatem « personae in utraque natura intelligendam, et « Filius hominis legitur descendisse de coelo, cum « Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est na- « tus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus « dicitur ac sepultus, cum haec non in divinitate « ipsa, qua Unigenitus consempiternus ac consub- « stantialis est Patri, sed in naturae humanae « sit infirmitate perpessus ». Hae, inquam, S. Leonis sententiae in quo discrepant a professione fidei, quam Honorius in sua ad Sergium epistola tradit? Nonne aliquando ipsa verba identica sunt? adeo ut habuisse prae oculis S. Leonis epistolas dicendus sit vel ipse, vel Ioannes Symponus, vel Romana Synodus universa dum haec epistola scripta fuit? Si igitur identica est fidei professio ab Honorio emissa cum illa S. Leonis 1., iam dubitare non licebit de orthodoxia epistolarum eius. Hinc factum videmus, ut ii ipsi catholicorum praestantissimi, qui vel eodem tempore, vel post Honorium vixerunt, eamdem cum ipso professi sint fidem, etiamsi sci-

rent Monothelitas veluti haereticas eius epistolas traducere, et abuti sententiis aliquibus animo prorsus catholico prolatis, ad suos disseminandos errores; quod quidem valde admirari debemus; si enim professio fidei ab eo tradita catholica undequaque non fuisset, quomodo Monothelitarum acerrimi adversarii eam repetere potuerunt? Quae ne gratis a me dicta esse videantur, ob oculos lectorum pono fidei professionem a Sophronio editam in epistola Synodica, quam ad Sergium dedit et ad omnes Patriarchas, quaeque lecta est Actione XI. Concilii VI. Inquit enim.

« Unde idem ipse unus manens Christus, et Filius et Unigenitus, inseparatus in utrisque naturis conspicitur, et quae sunt utriusque substantiae naturaliter operabatur, secundum insitam unicuique essentialem qualitatem, sive naturalem proprietatem. Quod si naturam haberet singularem et inconiunctam, sicut et subsistentiam atque personam, non ageret utique, neque unus idemque Filius et Christus perfecte efficeret quae utriusque erant naturae. Quando enim deitas expers corporis naturaliter operata est? vel quomodo corpus deitate frustratum actiones operatum est, quae essentialiter deitatis esse noscuntur? (1) Verum Emmanuel, dum unus est, et in eo ipso utraque, id est Deus et homo, quae naturae utriusque sunt naturali er gessit, secundum aliud atque aliud quae gesta sunt operans; secundum quod Deus quidem est, idem ipse est quae divina sunt; secundum quod homo, idem ipse est quae humana sunt; seipsum

(1.) His verbis poterant Monothelitae abuti ut Honorii verbis, si cavillari voluissent.

« omnibus volens ostendere, quod Deus idem ipse
« et homo sit; et ideo ipse tam quae divina sunt
« agit, quam quae humana similiter et dicit et lo-
« quitur. Non alius quidem miracula operatus est,
« alius autem perpetravit humana, passionesque
« substinuit, sicut Nestorius vult; sed unus quidem
« idemque Christus et Filius, qui et divina gessit,
« et humana, secundum aliud vero et aliud, sicut
« divinus protestatus est Cyrillus, quia et in utris-
« que potestatem habuit inconfusam, nec non im-
« partibilem. Secundum quod Deus ergo sempiter-
« nus idem ipse existebat, patrabat miracula; se-
« cundum quod homo vero idem ipse modernus
« agnoscebatur, faciebat humilia et humana; sicut
« enim in Christo utraque natura indiminute pro-
« prietatem suam custodit; ita et operatur utraque
« forma cum alterius communione quod proprium
« habuit, Verbo operante quod Verbi est, cum
« communione scilicet corporis, et carne exequente
« quod carnis est, communicante ei videlicet Verbo
« in eadem operatione, dum quando haec in una
« subsistentia cognoscantur, et in una persona con-
« siderentur, et insulsissimam sectionem propellant.
« Neque enim divise operabantur propria, ut et
« divisionem earum suspicemur. »

At quaero, quid his verbis profitetur Sophronius? Nonne dualitatem naturarum in Christo in unitate personae divinae, cui, propter communicationem idiomatum tribuit ea etiam quae humana sunt? Et quid aliud profitetur Honorius? Nonne hoc ipsum? Equidem quis dicturus erit, Sophronium profiteri utramque Christi naturam *indiminute proprietatem suam custodientem*. Et nonne hoc ipsum profitetur Honorius, dum dicit Christum

perfectum esse in humanitate, quae sine propriis attributis perfecta esse non potest? et dum dicit unum *Christum esse agnoscendum in duabus naturis, numquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae*? Profecto in his duabus sententiis: utraque Christi natura *indiminute proprietatem suam custodit*, ut Sophronius dicebat: et: utriusque naturae Verbo copulatae *salva proprietas fuit,* ut affirmabat Honorius, differentiam quidem in verbis video, in re non video; si enim humanitatem Christi perfectam hic non agnovisset, nec affirmare potuisset proprietatem huius salvam, seu integram esse post unitionem. Non enim affirmare voluit integram fuisse Christi naturam humanam post unitionem quoad partem physicam tantummodo, sed profecto quoad proprietates atque attributa, sine quibus illa ad conditionem naturae belluarum reducitur. Et haec quidem breviter ex prima epistola, et ex verbis citatis tantummodo, ne argumenta praeoccupare videar. Quodnam enim dubium de huiusmodi veritate superesse poterit, si alterius epistolae testimonia legamus, in quibus Honorius iubet ut omnes profiteantur, utras« que naturas in uno Christo unitate naturali co« pulatas, cum alterius communione operantes atque « operatrices; et divinam quidem quae Dei sunt ope« rantem, et humanam, quae carnis sunt exequen« tem; non divise, neque confuse, aut convertibiliter « Dei naturam in hominem, et humanam in Deum « conversam edocentes; sed naturarum differentias « integras confitentes? » Potest ne dubitari an haec sit ipsa pura Chalcedonensis fides?

De cetero ideo Honorius silentio premendas esse statuit voces sive unius, sive duarum operationum,

ne aut duas personas in Christo Nestorianorum reliquiae iterum defenderent, aut Eutychiani unam naturam: *Parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si unam operationem. . . fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum dementiam .. fateri putemur.* Volebat igi- Honorius integram salvamque consistere fidem de duabus naturis in unitate divinae personae, ut in synodo Chalcedonensi fuerat definitum; et consequenter volebat ut omnes fidem eamdem profiterentur. »

Atque hinc factum videmus, ut etiamsi monothelitae alia aliqua Honorii sententia abusi sint ad haeresim suam defendendam, numquam tamen citata fidei professione abusi sunt; quod certe eam nossent consonam, imo identicam cum fide Concilii Chalcedonensis, quam et ipsi profitebantur, vel saltem profiteri dicebant.

Et quidem praetermitto, ne prolixior sim, professionem fidei a S. Martino editam in Concilio Lateranensi Secret. 1., in qua de Christo identice prorsus cum Honorio haec dicit. « Sic etenim di-
« vina quidem corporaliter operabatur, eo quod
« per animatam intellectualiter sanctam eius car-
« nem haec omnia proferebat; humana autem
« operabatur divine, quippe quoniam potestative
« humanas passiones pro nostra salute, sine culpa
« suscipere dignabatur.

Nolo tamen praetermittere illud argumentum, quod eruitur ex instituta comparatione inter professionem fidei a Sergio emissam, et illam quam ab Honorio editam recitavi. Sergius itaque confitetur: *unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Ie-*

sum Christum verum Deum operatum tam divina quam humana; et omnem Deo decibilem, et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise procedere, et ad unum eumdemque redigi. Et num. XIII dicit: oportere *confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est eumdem operari divina et humana; et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo inseparabiliter, atque indivise omnem divinam atque humanam operationem* procedere. Profecto hac in professione fidei Sergius nedum praedicat Verbum divinum ut *principium quod* operatur in utrisque naturis; sed etiam ut *principium quo* operationes utriusque naturae eliciuntur; siquidem duo diserte distinguit, et *Unigenitum Iesum Christum operatum tam divina quam humana*; quibus constituit Verbum principium quod; et omnem operationem *tam divinam quam humanam ab eodem incarnato Deo Verbo procedere indivise et inseparabiliter, et ad ipsum redigi*; quibus constituit Verbum *principium quo* operationes eliciuntur; siquidem haec non referuntur amplius ad operantem, sed ad operationes ipsas, quas procedere affirmat ab ipso Verbo divino; quod esse non posset, nisi Verbum esset etiam principium quo. Siquidem rem eamdem dictis verbis Sergius dicere noluit. Si autem dicere voluisset utriusque naturae unum esse operatorem Verbum, quid necesse erat adiicere omnes operationes ab ipso procedere, et ad ipsum redigi? Haec quidem superflua fuissent; ergo ea de causa addidit, *omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise procedere,* quod ab ipso has operationes originem habere et elici fatere-

tur; et proinde constitueret Verbum, ut *principium quo* operationes eliciuntur, humana natura mere passive se habente ad Verbi operationem; quod apertissime exprimit paulo post dicendo: *Operatur quippe vere Deitas per corpus, quod circa ipsam est, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.*

At non ita Honorius. Siquidem dum ipse dicit: *confitentes Dominum Iesum Christum....operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita; eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne etc.* dum, inquam, haec dicit Honorius, constituit utique Verbum ut *principium quod* operatur in utrisque naturis, non vero ut principium quo operationes eliciuntur, cum semper de persona, non autem de operationibus loquatur. Atque necessarium omnino sit affirmare, operationes ipsas a Verbo procedere, ut Verbum possit esse *principium quo*, et consequenter naturam humanam esse mere passivam; quod tamen numquam dicit Honorius.

Atque hinc ruit illa difficultas, quam ad labefactandam eius fidem nonnulli urgent ex epistola prima, in qua Verbum appellat *unum operatorem divinae, atque humanae naturae.* Atque paullo post Sergio praecipit, ut praedicet *fide orthodoxa atque unitate catholica unum Dominum Iesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum operatum divinitus, atque humanitus;* quasi scilicet, his verbis cum Sergio unam Verbi naturam Honorius operatricem praedicaverit; ruit, inquam, haec difficultas; nam Honorius semper loquitur de una persona operante, non vero de una natura operatrice; loquitur de supposito, non de operatione; quod quidem 1. patet ex ipsis verbis obiectis, quibus dicit Verbum *operatum divi-*

nitus atque humanitus, quae referuntur ad personam, non ad naturam: 2. ex quo citata verba habenda sint veluti compendium fidei professionis, quam ab initio emisit; in ea vero dicit: *Verbum operatum divina media humanitate; eumdemque operatum humana assumpta carne*; quae intelligenda sunt pariter de persona divina in utrisque naturis operante, cum semper de Verbo loquatur, numquam de operationibus, quae a solo Verbo procedant. 3. quia Sergius dum in Hecthesi vellet fidem proponere, quam quisque sequi deberet, minime contentus fuit dicere tantummodo *Verbum operari divina et humana*; ut dicit Honorius; *sed addidit: et omnem Deo congruam et homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise et inconfuse procedere, et in unum eumdemque sortiri*; quae Honorius numquam dicit. Profecto Sergius videbat, nullimode Monothelitis suffragari fidem illam in Verbum quod operaretur in utrisque naturis, vel divinitus, et humanitus; haec enim et catholica erant, et a sexcentis Patribus dicta fuerant; sed ut dogma monotheliticum statueret, addidit a Verbo ipsas *humanas operationes indivise procedere, et in unum eumdemque sortiri*; quae continent aperte dogma monotheliticum de una Christi operatione. Siquidem hac fidei professione natura humana mere passiva statuitur, At integrae remanent proprietates utriusque naturae, dum dicimus, ut dicebat Honorius, Christum operatum *divina et humana, vel divinitus et humanitus*; actio enim Dei conservat, non perimit attributa subiecti, in quod operatur. Sed de hoc plurima inferius dicam. Interea concludo, fidei professionem ab Honorio praedicatam in suis ad

Sergium epistolis, esse ipsam professionem fidei Chalcedonensis, et quod verba, quibus eam exprimit, id evincunt; et quod collatio cum ipsa Chalcedonensi fide id adstruit; et quod eam ex epistola dogmatica S. Leonis 1. ad Flavianum desumpserit; et quod Sophronius in sua Epistola Synodica, et Martinus in Concilio Lateranensi anno 649. non aliam tradiderint; et quod demum omnino a fide illa differat, quam Sergius in sua epistola, et in Hectesi profitetur.

Ex his vero iam sequitur, quod secundo loco defendendum aggredior, Honorium scilicet propugnasse duas in Christo voluntates. Siquidem omnino decernit retinendam esse fidem Chalcedonensem, et profitendas duas in Christo naturas integras et perfectas in unitate personae divinae. Quis autem in dubium revocare poterit ex hac fidei professione necessario sequi duas admittendas esse in Christo voluntates, ne si humanitati suam voluntatem negemus, ea integra non sit, cum destituatur facultate intrinseca et necessaria? (1) At, inquies: etiam Monothelitae fidem Chalcedonensem admittebant; et tamen duas voluntates in Christo negabant. At qui ista mihi obiicis, fatearis oportet, verbo tenus admisisse Monothelitas fidem Chalcedonensem, non autem reapse. Dum enim Patres Chalcedone congregati definierunt *Christum perfectum in deitate, et perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum* definierunt, nec ne, Christum ho-

(1] Merito qui recitavit sermonem acclamatorium ad Imperatorem in Concilio VI. dixit: *Nihil enim aliud constituit humanae substantiae integritatem, nisi essentialis voluntas, per quam liberi arbitrii vigor in nobis designatur.*

minem verum habuisse eas omnes facultates quae hominem verum constituunt? Hoc adeo certum est, ut secus non fuisset in humanitate perfectus; adeo certum est, ut ad id explicandum addiderint verba *eumdem ex anima rationali et corpore, et consubstantialem nobis secundum humanitatem*; qua de causa, quod ad naturam attinet, in nullo a nostra differre Patres Chalcedonenses putarunt definieruntque Christi humanam naturam; eamque propterea definierunt constare voluntate libera et perfecta; atque hinc addiderunt constitui Christum anima rationali, intelligendo per id animam omnibus suis facultatibus praeditam. Siquidem radix libertatis et voluntatis humanae est in intellectu, seu ratione; qua de causa qui dicit animam rationalem, dicit etiam animam volitivam. (1). Ex his vero patet, Monothelitas a fide Chalcedonensi reapse recessisse, eamque specie tenus professos; non vero Honorium, qui eamdem ipsis S. Leonis verbis depraedicat, integram, et cum omnibus suis consectariis retinet, ut ex universa eius epistola patet.

At hisce praetermissis; nulli dubium est, Honorium in sua epistola prima profiteri unam voluntatem Domini Nostri Iesu Christi. *Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*; qua sententia Monothelitae abusi sunt, ut probarent eum sibi fuisse patrocinatum, quasi illa protulerit de voluntate divina tantummodo, non autem de humana. Si itaque demonstravero eam voluntatem, quam in citata sententia profitetur Honorius, esse voluntatem

(1) Hoc adeo evidens est, ut dum nos hominem definimus *animal rationale*, sub hac definitione complectamur etiam *volitivum*; ne pluribus hanc veritatem persequar.

humanam; atque etiamsi divina sit, tamen ex hoc non sequi, eum ab humana Christi natura voluntatem activam exclusisse, nonne hoc ipso demonstratum erit duas in Christo admisisse voluntates? Id autem demonstrare arduum profecto non est tum intrinsecis argumentis deductis ex ipsius epistolae contextis sententiis, tum extrinsecis, eorum scilicet testimonio, qui Honorii mentem iuridice sunt interpretati.

Et quoad argumenta intrinseca. Nemo dubitabit citatam sententiam referri ad illa Sergii verba: *Insuper et consequens ei sit* (affirmanti duas operationes) *praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero eius obsistente eius voluntati et resistente, et perinde duo contraria volentes introducantur; quod impium est.* Quibus Sergius excludere volebat a Christo voluntatem naturalem, cum contendat duos contraria volentes per id introduci; quod non ad aliud, quam ad facultatem referri potest, aut debet; nisi velimus dicere (quod demonstrari posset ex ipsa epistola) eum putasse renovari per voluntatum dualitatem duas personas, et proinde haeresim Nestorianam; quod tamen in idem recidit. Honorium vero Sergio ista dicenti respondere voluisse, certissimum est, ex quo paullo post in medium proferat illa Christi verba. *Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*, ad quae ille alludit. Honorius itaque cum dixit: *Unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*, volebat demonstrare nullimode pugnam voluntatum in Christo existere. At Sergius contendebat sequi voluntatum pugnam, si in Christo duae voluntates admitterentur; ergo ut Sergio

illa loquenti responderet, dicendus est affirmasse nullam dari pugnam, etiamsi in Christo duae voluntates admittantur. Non potuit ergo de divina loqui voluntate, sed de humana, et quia difficultas non versabatur circa voluntatem divinam, sed humanam; et quia Sergius voluntatem divinam, qua Verbum absolute vellet salutarem adimpleri passionem, admittebat. Qua de causa si locutus de voluntate divina fuisset, nullimode respondisset ad Sergii difficultatem, quae versabatur circa pugnam utriusque voluntatis divinae et humanae; non vero circa divinae Christi voluntatis existentiam, aut eius beneplacitum adimplendi passionem. Hinc Monothelitae, et ii omnes qui citatam sententiam ut haereticam traducunt, nulla alia ratione demonstrare possunt Honorium locutum de divina voluntate, nisi mentem eius ita exponant. Nulla extitit voluntatum pugna in Christo, quia in ipso fuit una divina voluntas. At 1°. hoc adversarii affirmare non possunt quin supponant id quod in quaestione versatur: 2°. id excluditur ex ipsa eius intentione respondentis ad difficultatem ex pugna voluntatum divinae et humanae desumptam. Quid enim praedicta sententia volebat Honorius? Assentiri ne Sergio? Ergo illa huic aequivalet. *Unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*, quia una voluntas divina in eo fuit. Quoniam vero illa voluntas ab eo praedicata fuisset voluntas divina; ergo huiuscemodi ratiocinium instituisset: *unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*, quia unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi. Quam bella ratiocinatio! Dissentiri? At tunc locutus est de humana voluntate; et proinde duas in Christo disertis verbis voluntates admisit; quod ul-

terius ex contextu epistolae ipsius demonstrandum assumo.

Revera. Si quae mentem loquentis exponant, sunt profecto argumenta, quibus propositam thesim defendit; quisque enim sive veram sive falsam thesim defendendam aggrediatur, talia argumenta proponit, quae illam demonstrent; non vero quae nihil probent, multo minus impugnent. Si igitur Honorius in citata sententia de divina voluntate locutus est, non vero de humana, argumenta ab ipso allata huius divinae voluntatis debent existentiam probare, non autem humanae voluntatis existentiam. At adeo falsum id est, ut nil magis falsum esse possit.

Revera, ratio, quare ipse unam voluntatem in Christo fatetur, est: *quia a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.* At quaeso: haec ratio probat ne illam unam voluntatem, esse voluntatem divinam? Profecto non probat. Unde enim consequentia in hoc enthimemate, ad quod illa sententia reducitur. *A Salvatore suscepta est nostra natura, non culpa*; ergo una divina voluntas in Salvatore fuit? Si igitur in argumento, quo Honorius rationem reddit, quare (loquor in adversariorum hypothesi) in Salvatore una divina voluntas dicenda sit, consequentia omnino desideratur; ex ipsis logicae regulis compellimur concludere de voluntate divina eum locutum non esse. Fac enim tantisper ut consequentia illa ex antecedenti sequatur; profecto sequitur, Honorium putasse culpam esse de necessitate voluntatis humanae; ideoque dum dixit, a Salvatore culpam susceptam non fuisse, reddidisse rationem quare non susceperit vo-

luntatem humanam; quia nempe, si Christus suscepisset voluntatem humanam, culpam etiam debuisset suscipere. At nescio utrum sit aliquis adeo valens qui probare possit, tantam absurditatem Honorium devorasse, cum praesertim ex hac ipsa epistola constet eum illam respuisse, ut ex dicendis patebit. At e contra nonne immutabilis stat citata conclusio, si eum dicamus de humana voluntate locutum, cuius ad Deum conformitas et tendentia poterat impediri per culpam, seu concupiscentiae fomitem? Immutabilis, inquam, stat consequentia; quia enthimema illud in hunc Syllogismum resolvitur. Ibi est una voluntas undequaque divinae voluntati conformis, ubi nullus est concupiscentiae fomes, quo a divinis voluntatibus faciendis retrahitur. Atqui in natura Christi humana nullus erat concupiscentiae fomes, quo retraheretur a divinis voluntatibus faciendis. Ergo in natura Christi humana erat una voluntas undequaque divinae conformis.

Sed dato et non concesso, quod illam sententiam de voluntate divina protulerit Honorius, neque ex hoc sequitur voluntatem humanam exclusisse; siquidem hoc in casu sensus verborum hic esset: unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia talem Salvator assumpsit naturam quae cum peccato originali careret, voluntati divinae non adversabatur; locutus ergo fuisset non de voluntate quatenus facultas est, sed quatenus dicit operationem; eaque de causa una illa Honorii voluntas complecteretur utramque voluntatem, humanam scilicet et divinam, quia utriusque conformem operationem diceret. Ita enim argumentatus fuisset.

Ibi est una voluntas, ubi est plena voluntatum con-

cordia. Atqui in Christo divinam inter et humanam voluntatem erat plena concordia; ergo in Christo fuit una voluntas. Ergo in hypothesi una illa voluntas etsi divina non excluderet voluntatem humanam, sed includeret, ea etiam ratione, quia concordia et consensus de pluribus dicitur, non autem de uno, (1) Et reapse nonne dicimus nos una voluntate aliquod decretum in Conciliis oecumenicis probari, si illi unanimi consensu Patres assentiantur? Nonne dicimus, Dei et hominis iusti unam esse voluntatem? Cum itaque Honorius unam voluntatem confessus fuisset in Christo, quia ab eo natura sine culpa assumpta est; debuisset semper in ea humanam includere, quin ratio adducta nutaret; atque ne frustra contra Sergium argumentaretur inter utramque Christi voluntatem pugnam introducentem, et humanam hinc excludentem. Etiamsi igitur de voluntate divina locutus sit, sequitur eum Cristo voluntatem etiam humanam tribuisse, cum hanc sub eodem vocabulo sit complexus; quod vocabulum, hac in hypothesi, non facultatem simpliciter, ut dixi, sed actum et operationem conformem utriusqe voluntatis dicit. Haec autem protuli, ut Monothelitas ex his verbis Honorium haereticum traducentes, revincerem; non quod a prima sententia recedendum esse existimem. Siquidem integris his numeris 3. et 4. semper loquitur de humana Christi natura, quam dicit eam esse, quam habuit Adam ante praevaricationem, *quia Christus sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus*

(1) Juxta hanc expositionem interpretari possemus illam sententiam: Concordem voluntatem fatemur Domini etc. vel numero plurali: concordes voluntates fatemur etc.

de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice; neque verbum dicit sive de divina Christi natura, sive de eius attributis; qua de causa nulla ratio apparet, quare *unam illam voluntatem* naturae divinae Christi tribuere debeamus. Sed hoc praetermisso. Eam naturam assumpsit Verbum divinum, quam habuit Adam ante praevaricationem; cum autem hic habuerit naturam integram et perfectam, id est libera voluntate praeditam; eandem naturam habuerit Christus oportet; sin minus enim naturam assumpsisset illa Adami multo inferiorem; cum natura libera voluntate praedita praestantior multo sit ea, quae libera voluntate destituatur (1). Ex qua ratione excluditur etiam suspicio, quod Honorius admiserit in Christo voluntatem humanam, non tamen activam et liberam, sed passivam; quia voluntas activa multo melior est quam passiva, si tamen voluntas passiva, voluntas dici possit, cum activitas sit de intrinseca eius natura, ut patet. Ex qua igitur Honorii sententia, demonstrari non dicam, cum id impossibile sit, sed erui potest eum negasse Christi humanitati voluntatem, vel tribuisse tantummodo passivam, cum ipse ab ea excludat culpam, et nihil aliud praeter culpam? Atque hinc, ni fallor, universae Monothelitarum cavillationes ad

(a) Hoc argumento desumpto ex integritate naturae ad adstruendam humanam voluntatem in Christo usi sunt ipsi Patres Concilii VI. Actione VIII. Sancta Synodus dixit: Si primus Adam naturalem habuit voluntatem, qui per omnia similis illi factus est absque peccato secundus Adam Dominus noster Iesus Christus verus Deus noster, quomodo non habuit in humana eius natura naturalem voluntatem? Si itaque et humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster et Deus Iesus Christus humanae suae naturae, et divinam ante saecula cum Patre et Spiritu Sancto habuit voluntatem, procul dubio duas naturales voluntates in ipso orthodoxos oportet confiteri.

istud Sophisma reducuntur: Honorius a Christi humanitate exclusit culpam: ergo exclusit etiam voluntatem. Nisi enim hi ad haec sophismata convertantur, numquam probare poterunt, eum unam voluntatem in Christo confessum fuisse.

Quid igitur ? vires ne fortasse colligent ex quo inferius dicat: *voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori*, quasi affirmaverit, si in Christo humana voluntas extitisset, eam necessario debuisse adversari divinae eius voluntati ? At praeterquam quod istud excludatur ex ipsa eius sententia, qua statuit Christum suscepisse integram Adami naturam, eaque de causa nullum fuisse expertum contagium vitiatae naturae; excludatur insuper ex ipsis verbis, quae immediate post sequuntur; *quia super legem natus est humanae conditionis*; excluditur etiam ex *quo voluntas haec diversa vel contraria* non sit, iuxta Honorii mentem, facultas humanae naturae sed *lex membrorum et carnis*, id est fomes concupiscentiae, dicit enim: *nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit etc*; ex quo apparet illam voluntatem contrariam, quam excludit a Christo, esse illam aliam legem repugnantem legi mentis, de qua locutus est Paulus, cuius verba ipse excribit. Obiecta deinde sententia est consequentia eorum quae praemiserat de duplici sensu bono et malo, quo vox caro assumitur in scripturis; bono quidem, quatenus significat naturam humanam simpliciter ad bonum inclinatam, praecisione facta a corruptione et peccato; malo vero sensu, quatenus indicat naturam corruptam, et ad malum inlinatam, qualem describit apostolus dum dicit: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae cct. Quibus praemissis concludit

Honorius: *Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius; sed venit quaerere et salvare quod perierat, id est vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis.* Ex quibus luce clarius colligitur, peccatum originale a Christi humana natura eum excludere, seu fomitem concupiscentiae, quo ad malum trahimur, non vero voluntatem proprie dictam, quae facultas animae humanae sit.

Quin imo; ex dictis verbis duo argumenta desumo in defensionem Honorii; quorum primum est, eum affirmare Christum idcirco suscepisse *naturam non vitiatam quia venit salvare vitiatam generis naturam*; at haec vitiata fuit in Adamo per voluntarium recessum a lege Dei; ergo ut hanc integre salvaret Christus, mediante natura humana quam susceperat, debuit etiam voluntatem humanam snscipere. Alterum argumentum est, quod Honorius excludat a Christo voluntatem contrariam; ergo non exclusit naturalem, imo adstruxit; cui enim fomes concupiscentiae in hipothesi bellum intulisset, si humana Christi natura voluntate destituebatur? nonnisi enim voluntate humana mediante, Christus, ut homo, poterat a voluntate paterna adimplenda retrahi. Atque hinc nil mirum si in subsequentibus adeo Sergii sententiam exagitet pugnam voluntatum asserentem, ut ipsius refutator appareat; arrepta siquidem illa ipsa sententia: « Non quod ego volo « sed quod tu vis Pater,. » qua ille probare conabatur voluntatum pugnam, duo concludit Honorius; et illa non esse diversae voluntatis; et his verbis voluisse Christum nos edocere ut semper volunta-

tem nostram divinae posthabeamus. « Et si quidem « scriptum est: non veni facere voluntatem meam, « sed eius qui misit me Patris. *Et:* non quod ego vo- « lo, sed quod tu vis Pater; et alia huiusmodi; non « sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis « humanitatis assumptae. Ista enim propter nos « dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur « vestigia eius; pius magister discipulos imbuens, « ut non suam unusquisque nostrum, sed potius « Domini in omnibus praeferat voluntatem » At ex his necessario sequitur voluntatem humanam in Christo Honorium admisisse. Verba enim illa vere et sincere protulit Dominus noster; eo vel magis quod in iis deprehendatur uniformitas voluntatis eius cum voluntate Patris; non enim absolute petit ut transferatur calix, sed *si velit Pater*, *si possibile sit.* Id vero procedere non poterat ex voluntate divina, sed ex humana; fuit ergo haec voluntas in Christo. Si Honorius itaque hanc negasset voluntatem, non debuisset dicere: *sunt haec dispensationis humanitatis assumptae*, sed sunt unius eiusdemque voluntatis. At hoc in casu absurda devorasset. Si enim verba illa: *Pater si vis etc.* Et: *non quod ego volo* etc. fuissent divinae voluntatis, Christum negasset omniscium; cum omniscius certe non sit ille qui nescit an possibilis sit subtractio passionis alicuius; 2° contendisset Christum rogasse qua Deus erat, ideoque Patre suo inferiorem praedicasset; quia qui rogat inferior est eo qui rogatur. Qua de causa ne adeo dogmatis ecclesiastici imperitum vel impium putemus, concludendum est, eum humanae Christi voluntati praedicta verba tribuisse, eaque de causa dixisse: *sunt haec dispensationis humanitatis assumptae et non diversae voluntatis*;

id est: haec Christus protulit tamquam homo, qui se subiiciat divinae voluntati.

De qua Honorii mente quomodo dubitare possumus cum ipse ideo contendat illa fuisse dispensationis humanitatis assumptae, ut nos edoceret Christus quatenus voluntatem divinam nostrae praeferamus? Quod vero exemplum dedisset, si nullam habuisset ipse voluntatem, quam Patris posthaberet voluntati? Hinc illa voluntas, quam Christus Patris beneplacito postposuit, fuit voluntas divina, vel humana; divina esse non poterat, ut patet; ergo fuit humana; ergo in Christo Honorius voluntatem humanam disertis verbis confessus est. Atque hinc sequitur etiam, quod si de humana voluntate locutus non fuisset in citato testimonio, nullatenus ad Sergii difficultatem respondisset; quia, cum in hypothesi Christus voluntatem humanam non habuisset, non poterat concludere, eam non fuisse divinae voluntati contrariam; cum quod non existit, Deo certe contrarium esse non possit. Et haec quidem ex ipsa analysi epistolarum Honorii.

Attamen ipsa ratio loquendi Monothelitarum circa pugnam voluntatum, vel circa voluntatis Christi unitatem in causa est, quare dicendus sit Honorius ipsorum sententia abhorruisse. Nemo enim mihi negare poterit eos argumentationem illius ad probandam unam voluntatem in Christo fore ut adhibuissent, si aliquo pacto credidissent argumenta ab eo allata ad Monothelismum recta perducere. Qua enim de causa abusi eius nomine fuissent ut propugnarent unam in Christo voluntatem, sprevissent vero argumenta illa plurima ab ipso allata, ut illius dogmatis veritatem demonstrarent? Quin imo, qua de causa argumenta e diametro opposita at-

tulissent, ita ut si quis utriusque partis argumenta et expendat et conferat, ad oppositam conclusionem ea perducere omnino perspiciat? Haec quidem mihi insolubilia videntur; atque contraria agendi rationi haereticorum ipsorum, praesertim Monothelitarum, quicum sexcenta Patrum testimonia vel detruncaverint, vel corruperint ut haeresim suam constabilirent, numquam tamen in medium protulere argumenta illa, quibus Honorius unam voluntatem defendit in Christo, sed contenti unice fuerunt in vulgus spargere, eum propugnasse unam voluntatem quia scripserat: *Unam voluntatem fatemur Domini Nostri Jesu Christi*, spretis de cetero, et omnino praetermissis argumentis, quibus utitur ad id probandum; atque e contra iis assumptis quae a Sergio allata fuerant in sua ad Honorium epistola.

Ne hac in re pertractanda sim nimius, afferam argumentationem qua Paulus Cptanus utitur in sua epistola ad Theodorum Papam, quae lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino, Secret. IV. Ita porro inquit: « Unde et unam voluntatem Do-« mini Nostri Iesu Christi intelligimus, ne contra-« rietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque « personae Domini nostri Iesu Christi applicemus, « aut ipsum se expugnantem dogmatizemus, aut « duos volentes introducamus. (1) Non enim ad con-« glomerationem omnino, aut confusionem duarum « naturarum, quae in eodem videntur unius volun-« tatis, hanc producentes vocem, aut ad interemptio-« nem alterius tantum aliam esse praedicantes; sed « hoc huiusmodi significantes vocem, quoniam caro « eius rationabiliter et intellectualiter animata, ex

(1) Ad instar Sergii in epistola sua ad Honorium.

« ipsa summa unitate inenarrabiliter omnibus divinis « ditata, unientis eam sibi secundum substantiam di- « vini Verbi, divinam habebat indiscretam volunta- « tem, quae ab ipso semper ducebatur ac moveba- « tur, utpote in nullo tempore eadem divise, et « ex proprio impetu contrarie nutui uniti secun- « dum substantiam Dei Verbi, naturalem eius fa- « ciens motionem, sed quando, et qualem, et « quantam ipse Deus Verbum volebat, (1) ne, « quod absit in blasphemia diudicemur, quod uti- « que cavendum et terribile dicendum. Vae huiu- « smodi pravitati ut per necessitatem naturae vio- « lentiam sustinentem introducamus eius humanita- « tem, et communicantem Petro dignae eius in- « crepationi, si utique per similem recusationem « ex verborum significatione passioni eius com- « municat. Sic et evangelicam intelligamus lectio- « nem ubi dicit: non ut faciam voluntatem meam, « sed eius qui misit me. Sed et in recusatione pas- « sionis non diversam in unum eumdemque Chri- « stum, et resultantem introducentes voluntatem, « magis autem recusative, et non positive huiusmo- « di suscipiamus vocem. Non enim quasi existens « hoc verbum dictum est, sed ac si non est; si- « cuti: neque peccatum meum, neque iniquitas « mea » (2) « Atque paullo post concludit, hanc « fidem professos esse Sergium et Honorium » *Quibus concordantes et consonantes facti sunt piae memòriae Sergius et Honorius.* (3).

(1) Haec postrema sententia desumpta est ad verbum ex epistola Sergii ad Honorium.

(2) Psalm. LVIII. v. 4.

(3) Extat haec epistola apud Labb. Tom. VI. Concil. pag. 222. et seqq.

Hanc epistolam expendenti patet, duplici argumento propugnare Paulum Patriarcham voluntatem humanam in Christo fuisse omnino passivam; et quod a Verbo omnimodis moveretur, et quod si activitate sua praedita fuisset, obstitisset divinae voluntati. Ex quibus concludit verba illa Christi dicta esse recusative, et non positive, quasi nempe Christus dixerit: nulla est voluntas in me Pater, qua ego motus recusem passionem; sed est in me tantummodo voluntas tua. Utitur ergo Paulus ipsis Sergii argumentis. Attamen illam sententiam: *unde et unam voluntatem Domini Nostri Iesu Christi intelligimus*, excripsit ex epistola prima Honorii; quare igitur, quaero, illius unius voluntatis non reddit easdem rationes quas reddit Honorius? quare non dicit illam sententiam Christi *Pater si vis etc.* non fuisse diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae, sicut ille dicebat? quare non dicit, his verbis voluisse Christum dare nobis exemplum, ut in omnibus praeferamus Dei voluntatem? quod quidem dicere non potuisset, nisi Christus humanam habuisset voluntatem, quam voluntati Patris postponeret? quare e contra affirmat recusative illam Christum protulisse sententiam, ut scilicet indicaret nullam se humanam voluntatem habere, qua moveretur? Argumenta igitur, quibus Paulus, et idipsum de Sergio dicite, utitur ad probandam illam unam voluntatem passivam in Christo, quam specie tenus admittit, (voluntas enim passiva voluntas nulla est) toto coelo distant ab argumentis, quibus unam voluntatem adstruit Honorius; ita ut dum hic unam voluntatem fatetur, quod a Christo vitiata natura humana assumpta non sit, et proinde neque voluntas quae repugnaret legi mentis, et voluntati divinae; ex quo sequitur in Christo

unam esse voluntatem humanam, spiritus scilicet, quae plane concors esset cum voluntate divina; non carnis, quae voluntati spiritus repugnaret; ille e contra, his spretis argumentis, ad astruendam illam unam voluntatem hypotheticam, voluntatum discordiam gratis omnino in medium profert (1), et deificationem quamdam humanae voluntatis, cuius causa per se nihil agere posset, sed a Verbo semper ita moveretur, ut eius quidem esset passio, Dei autem operatio? Vel igitur Monothelitis argumenta Honorii visa sunt probasse unam divinam voluntatem in Christo, aut humanam tantummodo sed passivam, vel secus; si primum, quare illius argumentis usi non sunt? quare imo illis e diametro opposita attulerunt? Si alterum; ergo, implicite saltem, confessi sunt nullimode Honorium admisisse illam unam voluntatem sensu monothelitico; eiusque nomine et auctoritate vel ignorantia, vel malitia abusi sunt, arrepta, inscite prorsus, illa sententia: *Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*.

Neque documenta mihi desunt historica, quibus reddere rationem possim, quare Honorius ad astruendam unam voluntatem humanam plane cum divina concordem, argumenta desumpserit ex humanae naturae integritate, quam Christus assumpsit. Quisque enim novit verba illa: *unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi*, esse consequentiam eorum quae inferius dixit; ita ut universa eius argumentandi ratio ad hoc enthimema reducatur: *Fatemur Christum assumpsisse eam naturam, quae ante peccatum creata est; ergo unam voluntatem*

(1) Dico gratis; quia admissa integritate naturae humanae, pugna et discordia illa voluntatum figmentum erat.

fatemur Domini nostri Iesu Christi; cuius ratio est, quia tantummodo per assumptionem naturae corruptae, voluntatem contrariam, (loquor in sensu et cum verbis Honorii) qua retraheretur a divina voluntate adimplenda potuisset habere; atque cuiquam epistolam legenti persuasum erit, totum in eo esse Honorium, ut excludat a Christo assumptionem vitiatae naturae. Quare hoc? Sciendum est igitur, tunc temporis Cpli impiam fuisse sectam exortam, quae contenderet Christum, quatenus homo fuit, contraxisse peccatum originale, ideoque assumpsisse non integram, sed vitiatam hominis naturam. In primum demonstro ex apologia Ioannis IV. Rom. Pontificis, in qua et ipse unam confitetur in Christo voluntatem, et non duas contrarias mentis et carnis, ut sese opponat quibusdam haereticis, qui id de Christo fatebantur: « Unde scientes, quod nullum « in eo, cum nasceretur et conversaretur esset pec- « catum, decenter dicimus et veraciter confitemur « unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis « humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis « praedicamus, secundum quod quidam haeretici ve- « lut in puro homine delirare noscuntur. Secundo, demonstro ex S. Maximo, qui in epistola sua ad Marinum Cypri Presbyterum (1) loquens de Synodica Theodori Papae, inquit: « Sane igitur sanctissimi, qui « nunc est Papae, Theodori scilicet, synodicas « non in tot capitulis quot scripsistis, regiae urbis « cives (Cptani) reprehenderunt; sed in duobus dun- « taxat: quorum alterum est de fide Trinitatis, ac « quod, aiunt, dixerit: Spiritum Sanctum etiam « ex Filio procedere; alterum vero de divina In-

(1) Migne Patrol. Graec. Vol. 91. Col. 124.

« carnatione, quod nimirum scripserit, esse Domi-
« num, ut est homo, absque peccato originali. »
Ex hac vero impia Graecorum doctrina omnino sequebatur illa voluntatum pugna, quam in Christo monothelitae adstruebant, si in eo saltem voluntas activa admitteretur, quia, ut nos, Christus concupiscentiae fomite a voluntate divina perficienda abstractus fuisset. Quid ergo Honorius, quem certe non latebat eiusmodi Graecorum commentum? Videns quod illa voluntatum pugna, et proinde negatio illa humanae voluntatis, vel eius activitatis, quam Monothelitae praedicabant, esse consequentiam necessariam impiissimi illius commenti, absolute negavit in Christo originale peccatum, contendendo eum assumpisse integram Adami naturam, non corruptam; et proinde nullum expertum fuisse contagium vitiatae naturae, seu concupiscentiae fomitem, quo impediretur a salutari passione adimplenda, vel a perficienda voluntate Patris; eaque ratione nullam in eo pugnam extitisse, etiamsi duas haberet voluntates. Hanc Honorii mentem fuisse ipse Ioannes IV. in citata Apologia diserte fatetur, dum post citata verba subdit: « Secundum hunc
« igitur modum iam dictus decessor noster prae-
« nominato Sergio Patriarchae percontanti scripsis-
« se dignoscitur; quia in Salvatore nostro duae vo-
« luntates contrariae, id est, in membris ipsius pe-
« nitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit
« ex praevaricatione primi hominis. (1)» Id autem

(1) Contra hos loqui Honorium, ex ipsius epistolis probari etiam potest; siquidem dicit: « Simpliciter atque veraciter con-
« fitentes Dominum Iesum Christum unum operatorem divinae
« atque humanae naturae, electius arbitrantes ut vani naturarum
« ponderatores ociose negotiantes; et turgidis adversus nos in-

Ioanne verissime dici quis unquam dubitabit, cum interpretatio eius omnino respondeat contextui et espositioni epistolae Honorii? At si Honorius ideo *unam voluntatem in Christo professus est*, quo excluderet pugnam quae ei inferebatur per contagium vitiatae naturae, quam non suscepisse evidentissime probat; quis erit tam absurdo ingenio, vel maligno ut concludere velit eum voluntatem humanam in Christo negasse? Si excludit voluntatem contrariam, qua logicae regula ductus quis affirmabit exclusisse voluntatem naturalem? Si demum *ab illa una voluntate*, quam fatetur in Christo, excludit fomitem concupiscentiae; quis dicere poterit eum locutum de voluntate divina? Fortasse ne divinitas fomite concupiscentiae abripitur?

Verum; (ut argumenta extrinseca in medium proferam) rectae interpretationis regula est, alicuius sententiae significationem, si dubia sit, esse exponendam iuxta illorum dicta, qui vel iuridice illam interpretantur, cum id muneris ad eos pertineat; vel saltem ita auctori proximi fuere, ut indubie mentem eius assequi potuerint. At si ego huic regulae insistam, ut insistendum esse arbitror, omnino demonstrabo numquam humanam voluntatem Christi Honorium fuisse inficiatum. Duorum tamen testimonio me expediam, sed ta-

« sonent vocibus ranarum philosophi, quam ut simplices et hu-
« miles spiritu populi christiani possint remanere ieiuni. Nullus
« enim decipiet per philosophiam et inanem fallaciam discipulos
« piscatoris eorum doctrinam sequentes; omnia enim argumenta
« disputationis callidae atque fluctivaga intra eorum retia sunt
collisa » Ex quibus patet, Honorium loqui contra aliquam hominum sectam qui de Christi naturis, earumque proprietatibus disputarent in numero pondere et mensura.

lium tantorumque virorum, quorum auctoritas pro sexcentis valeat; Ioanne, inquam, IV., et S. Maximo.

Ille itaque in saepe citata Apologia ita illam *unam voluntatem* interpretatur.

« Sergius reverendae memoriae patriarcha prae-
« dicto sanctae recordationis Romanae Urbis Pon-
« tifici significavit, quod quidam in Redemptore
« nostro duas contrarias dicerent voluntates. Quo
« praefatus Papa comperto, rescripsit ei quia Sal-
« vator noster sicut esset monadicus unus, ita et
« valde mirabiliter super omne genus humanum
« conceptus et natus esset. De sancta quoque ipsius
« incarnata dispensatione docebat, quia Redem-
« ptor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset
« et homo perfectus; ut quam primus homo per
« praevaricationem amisit, sine aliquo peccato na-
« tus, primam imaginis nobilem speciem renova-
« ret. Natus est ergo secundus Adam, nullum ha-
« bens nascendo, vel cum hominibus conversando
« peccatum. Etenim Verbum caro factum in simi-
« litudinem carnis peccati omnia nostra suscepit,
« nullum reatus vitium ferens ex traduce praeva-
« ricationis exortum. Similitudinem ergo intelligi-
« mus non carnis eius, sed peccati.... Ergo simi-
« litudinem carnis peccati sanctus dicit Apostolus,
« quam similem nobis peccatoribus sine peccato,
« cum animo rationali suscepit; et idcirco unam
« voluntatem fatemur secundum primam formatio-
« nem Adae naturalem humanitatis suae Dominus
« noster Iesus Christus habere dignatus est, non
« duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere
« dignoscimur, qui de peccato sumus Adae geni-
« ti.... Secundum hunc igitur modum iam dictus

« decessor noster praenominato Sergio Patriarchae « percontanti scripsisse dignoscitur. »

Ioannes IV. igitur analysi instituta in ipsis Honorii, tum Sergii epistolis, omnino decernit et de voluntate Christi humana illum locutum esse, ab eoque repulisse voluntatem contrariam, id est concupiscentiae fomitem, non vero voluntatem naturalem; eaque de causa etiam ipse *unam voluntatem decenter et veraciter confitetur in sanctae Incarnationis Christi dispensatione*; quod quidem cavere debuisset. Cum enim illam unam Christi voluntatem etiam ipse fateatur iis argumentis, quibus Honorius idipsum adstruxerat; si illa tantisper nutassent, de fide etiam sua maximam Graecis reliquisset suspicionem. At id Ioannes minime timuisse visus est; certus ergo fuit de vi et veritate argumentorum Honorii; de cuius insuper sententia nedum ex ipsis epistolis certior factus est, sed etiam ab illis ipsis, qui eas scripserant, ut iam observavi. Non potest igitur Ioannis iudicium respui, sicut eorum iudicium sperni nequit, qui decreti alicuius sensum interpretantur, interrogata prius legislatoris conscientia; etiamsi enim Honorius iam defunctus fuerit, vivebant tamen illi, quorum opera et consilio usus fuerat in conscribendis epistolis, quique Romanam synodum constituebant, ut probavi, adducto in rei confirmationem S. Maximi testimonio. Cum autem impossibile sit ut illi qui epistolam confecerant scripserantque, nesciverint quo sensu unam voluntatem Domini Iesu Christi confessi fuerint impossibile hinc est, ut in ea exponenda deceptus sit Ioannes. De cetero argumenta quae producit in confirmationem interpretationis suae, quaeque ex epistola prima desum-

pta sunt, rem omnimo dirimunt; ergo adeo vere mentem eius exposuit, ut de sententia illius in asserenda una Christi voluntate dubitare nonnisi summa temeritate vel stultitia possimus. Ut enim demonstrationem paucis conficiam; vel *unam illam voluntatem Domini nostri Iesu Christi* ex sententia Honorii interpretatus est, vel sua; si ex sententia Honorii; ergo hic voluntatem humanam confessus est in Christo; si sua, quomodo fieri potest ut argumenta quae affert, quaeque ab illo mutuatus est voluntatem humanam Christi adstruant?

At praeclarissima est ea, quam S. Maximus de illa una voluntate Christi expositionem facit in Tomo dogmatico ad Marinum, (1) quamque integram refero, ut quisque inde percipiat quanta cum veritate sanctus Doctor et Martyr eius fidem defenderit. Sic itaque inquit.

« Quin Romanae Ecclesiae Papam Honorium, « innatas geminas in Christo voluntates haud putem reprobare epistola sua ad Sergium, eo quod « unam voluntatem dixerit; sed magis suffragari « easque merito adstruere; qui nempe hoc dicat, non « ad humanam ac naturalem Salvatoris elidendam « voluntatem, sed ut eius sine semine conceptui ac « incorrupto partui nullam carnis voluntatem aut « libidinosam cogitationem ostendat praeivisse. Sola « enim Dei ac Patris voluntas per Filium, ipsum « suae incarnationis auctorem, et Spiritus sancti « concursum, hanc operata est. Atque hanc esse « illius mentem, hinc liquet. Nam cum dixisset ob « ineffabilem naturae humanae ac divinae unio« nem, tum dici Deum passum esse, tum huma-

(1) Migne Patrol. Graec. Tom. 91. col. 238.

« nitatem cum divinitate de coelo descendisse; atque
« in eum modum eorum quae natura insunt utrique
« naturae unius Christi ac Filii, summam reciproca-
« tionem, quae est per commutationem, ostendisset,
« subiungit dicens: *Unde et unam Domini nostri*
« *Iesu Christi voluntatem confitemur.* Quonam id
« modo? *Quia profecto a deitate assumpta est na-*
« *tura nostra non culpa*, hoc est, non ex peccato;
« velut idem fere loquatur ac magnus Athanasius,
« dum adversus impium Apollinarium haec scribit:
« *Natus est ex muliere, ex prima plasmatione ho-*
« *minis sibi formam excitans, in ostensione car-*
« *nis absque carnalibus voluntatibus, et humanis*
« *cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas*
« *enim sola divinitatis est, quia natura tota*
« *est divinitatis.* Nam quia Verbi propter nos
« carnalis nativitatis progressio superiori nobis ra-
« tione extitit (non enim libidinosa carnis volun-
« tas aut cogitatio praecessit, ut in nobis conspi-
« citur, ob voluptatem scilicet ac libidinem, quae
« ex seductione naturae dominatur; sed sola deita-
« tis voluntas, per Filium ipsum, uti dicebam,
« propensa Patris voluntate et Spiritus Sancti coo-
« peratione, sibi auctorem assumpti corporis, in
« seipso ac per seipsum, eum, qui naturae inole-
« verat nativitatis modum, innovantem, suamque
« absque semine ex Sancta Dei Genitrice semper-
« que Virgine Maria conceptionem praestantem)
« hanc scilicet arcanae nullaque vi verborum expli-
« cabilis nativitatis rationem considerantes; ille qui-
« dem: *voluntatem solam deitatis in eo* dixit; hic
« vero, *voluntatem unam Domini nostri Iesu*
« *Christi, quia profecto*, inquit, *a divinitate as-*

« *sumpta est natura nostra, non culpa*; absque « scilicet carnalibus voluntatibus ac cogitationibus, « ut divus Athanasius ait; non autem etiam, qua « homo erat idem ipse qui et Deus natura existe- « bat, non habere humanam et naturalem volun- « tatem, uti sane etiam divinam paternamque.

« Idipsum autem etiam in sequentibus innuit, « dicens: *Sine peccato conceptus est de Spiritu « Sancto, et sancta intemerata semperque Virgi- « ne Dei Genitrice Maria, et sine contagione ex « ea secundum carnem natus est.* Divinam porro « Scripturam in laudis partem ac vituperationis « carnis meminisse profert, non ut aliam natura « ac substantia Domini carnem, quam nostram, « intelligendam esse admoneat; absit! quippe qui « hanc ex nostra assumptam substantia noverat, « id est, ex sanctissimo utero eiusdem nobiscum « naturae perpetuae Virginis ac Deiparae; sed aliam « peccandi pronitate, quodque nullatenus velut nos « adversantem legi Spiritus, quae ex praevarica- « tione est, in membris legem haberet. *Non enim « assumpta est*, inquit, *a Salvatore caro a pec- « cato corrupta, quae repugnaret legi mentis eius; « cuius enim, quae per semen est, generationi non « praeivit peccati lex, huius omnino nec in mem- « bris est; sed divinae lex iustitiae, ad informatio- « nem nobis elucens, legemque perfecte abolens ex « praevaricatione inolitam naturae. *Venit enim*, « inquit, *qui immunis a peccato est, quaerere et « salvum facere quod perierat; humani scilicet « generis naturam, quae peccaverat. Alia enim « lex in membris eius aut voluntas diversa, vel « Patri contraria non fuit in membris eius.* Qui- « bus ostendit, non quod non habuerit humanam

« voluntatem (non enim hoc dixisse apparet), sed « quod ut homo neque secundum corpus ullam « per membra innaturalem operationem haberet ; « neque vero secundum animam, contrarium vo- « luntatis motum, aut abhorrentem a ratione, uti se « res in nobis habet; *quod et supra naturae hu-* « *manae legem natus est.*

« Expressius autem et in sequentibus comprobat « quod dixerat hoc solum spectare ut libidinosam « ac vitiatam, non ut naturalem voluntatem a Sal- « vatore eliminaret, quodque in naturali quoque « ac humana, illi cum Patre ac Deo voluntate « conveniret, nulla cum eo ex repugnantia diver- « sitate ; sed ut nobis exemplum praeberet, vo- « luntatem suam sponte subiiciebat. Commendabat « vero paternam, quatenus nos quoque ipsum « imitati, nostram abdicantes omni diligentia pa- « ternam impleamus; dum sic ait. *Licet enim scri-* « *tum sit*: non veni ut faciam voluntatem meam, « sed eius qui misit me Patris, *et* non quod ego « volo, sed si quid tu Pater: *non sunt haec di-* « *versae voluntatis*; id est contrariae ac repugnantis; « *sed dispensationis humanitatis assumptae*, quae « sibi miserantis affectu nostra arrogaret.. *Ista enim* « *propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pie-* « *tatis magister, ut sequamur vestigia eius ; et* « *non suam unusquisque nostrum, sed Domini in* « *omnibus potius praeferat voluntatem.* Non ergo « naturalem atque humanam, uti dicebam, volun- « tatem interimit, sed vitiosam ac innaturalem. Atque, « ut prorsus dicam, ab omni immunem peccato atte- « statur, qui pro nobis simili nobis ratione Deus in- « carnatus est. Et, ut summa dicam, per unam volun- « tatem hoc eum significare existimo; nempe solam

« divinam voluntatem, eius secundum carnem generationi praeivisse. Quod vero ait, *non esse voluntatis differentiam*; hoc est non habere contrariam voluntatem aut repugnantem, sed quae omnino consentiat, ac sit unita. Idcirco, tum quidem, cum naturam nostram assumptam a deitate dicit, unius meminit voluntatis; cum vero illud affert: *Non veni ut facerem voluntatem meam*; tunc omisso numero; *non sunt haec*, inquit, *diversae voluntatis*, hoc est contrariae et adversantis; ex quo palam conficitur esse in Christo duas naturales voluntates; nam si contrariam ut homo non habuit, naturali praeditus fuit; quod enim contrarium non est, naturale prorsus est ».

Iam vero quid in hac S. Maximi expositione recusari potest, si ea demantur quae affirmat de illa *una voluntate Domini Nostri Iesu Christi*, quam esse dicit voluntatem deitatis praeeuntem generationi Christi secundum carnem; quam expositionem ex contextu excludi satis manifestum est ex iis quae paullo ante disputavi? Quoad cetera tamen, adeo vera eius expositio est, ut veritatem ipsam neget oportet, qui eam impugnare velit. Nonne enim verum est, in epistola prima Honorii ea omnia haberi quae ipse adducit, et sensu eodem quo adducit? Quis unquam aliquid hac in expositione inveniet quod ad incongruum sensum per vim sit adductum? Nonne de auctoris mente ex contextu, ex sensu verborum, et ex scopo conscriptae epistolae diiudicat? Nonne ex hac probare quaerit contra ipsos Monothelitas existentiam duarum in Christo voluntatum? At id profecto cavisset S. Martyr si contrarium sensum extundere potuissent illi; quem reapse extundisse numquam supra demonstravi, adductis argu-

mentis, quibus utebantur ad adstruendam unam voluntatem, quae e diametro opponuntur argumentis ab Honorio productis; atque iterum ex Pirrho ipso demonstro, qui in disputatione cum S. Maximo nihil habuit quod responderet, dum hic unam *illam voluntatem* interpretaretur de voluntate humana, non de divina: *meus decessor*, inquiens, *vocis errore deceptus hoc simplicius accepit.*

Cum itaque argumenta tum intrinseca tum extrinseca invicte demonstrent Honorium in suis epistolis voluntatem humanam activam in Christo admisisse, temerarium certe est, ne dicam impium, illarum orthodoxiam in dubium revocare.

Verum nedum ille duas voluntates, sed etiam duas operationes professus est; etsi circa nudum operationum vocabulum silentio indicto ad novas quaestiones vitandas; quod tertio loco demonstrandum assumpsi.

Et primum observo, hanc veritatem ex disputatis recta dimanare. Si enim Honorius duas voluntates activas in Christo confessus est; cum activae voluntatis sit agere atque operari; ergo ipse duas in Christo naturales operationes admisit. Secundo observo, nullum e Monothelitis eum accusasse, quod duas operationes inficiatus fuerit, sed tantummodo eius nomine abusos, ut inculcarent circa eiusmodi veritatem silentium; Monothelitae igitur nihil unquam in eius epistolis invenire potuerunt, quod uni operationi faveret; secus enim quomodo contingere potuit, ut qui ad contrarium sensum detorserint illam *unam voluntatem Domini nostri Iesu Christi*, praetermiserint unam etiam operationem ex iisdem literis probare? Quomodo factum est ut Pirrhus cum S. Maximo disputans, et

Honorium circa *unam voluntatem* sibi patrocinantem adducens, omiserit eius abuti auctoritate ad defendendam unam operationem, cum plurima de operationibus disputaret?

Neque obest quod Macarius Antiochenus Actione VIII Concilii VI. affirmet, se confitendo « unam « voluntatem subsistentialem in uno Domino Iesu « Christo, et Deivirilem eius operationem, consen- « tire Honorio a Deo erudito, Sergio et Paulo at- « que Petro; » nam quaestio circa unam voluntatem directe versabatur; agebat siquidem Macarius « de ipsa una voluntate quae est Patris et « Domini nostri Iesu Christi, et sancti Spiritus; » ex qua ipse deducebat in Christo et unam operationem fuisse; « Qui enim unam voluntatem ha- « bens, est ad susceptionem harum omnium pas- « sionum idoneus, unam eamdemque habuit vir- « tutem ad tolerantiam horum omnium; » qua de causa cum ipsi videretur Honorius unam in Christo fassus voluntatem, consequenter cum Sergio, Paulo et Petro reponit, etiam unam operationem diserte, profitentibus. Iudicium ergo non instituit ex aliquo testimonio ex epistolis excerpto, sed ex propria mente; eaque de causa nec ipse eum accusavit quod duas operationes Christi, saltem directe in suis epistolis negaret, sed duas voluntates; quod adeo verum est, ut Macarius confiteatur *Deivirilem operationem*, de qua ne verbum quidem in epistolis Honorii. Deinde in professione fidei, quam Imperatori obtulit, quaeque lecta est hac ipsa Actione VIII., dum agit de operationibus, sententias utique plurimas ex epistola Sergii excerptas ad verbum repetit, nihil vero profert de epistolis Episcopi; ex quo consequitur, eum

in his nihil invenisse quod uni operationi faveret; sin minus enim quomodo huius praetermisisset testimonia afferre, quae maioris fuissent ponderis quam testimonia Sergii, et sexcentorum Monothelitarum? Ut igitur argumentum conficiam: Vel aliquid est in his epistolis circa Christi operationes quod Monothelitis faveat, vel non; si primum, quare Honorii sententia et verbis abusi non sunt? si alterum, quomodo calumniari eum possunt quod unam operationem docuerit?

At duas in Christo operationes admisisse, nedum ex altera eius epistola, sed etiam prima luculenter evincitur. Postquam enim dixerit Christum esse operatorem utriusque naturae: *nam quia Dominus Iesus Christus ipse sit unus et idem operans divina et humana*; has ipsas Verbi operationes tribuit naturis, dicens: *Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici, vel intelligi etc.* Quaestio igitur non potest in eo versari an admiserit duas operationes; id enim ex citato testimonio evidentissime apparet; sed an operationes humanas adeo passivas censuerit, ut Verbi quidem fuerit agere, humanae vero naturae pati, ut contendebat Sergius; hoc enim in casu specie quidem, non reapse duas operationes praedicasset. At eum arbitratum operationes humanas Christi a natura activa processisse, primum ex ipsis verbis demonstro, quibus illas vocat *opera divinitatis et humanitatis*; quomodo enim humanae Christi naturae opera tribuere potuisset, si activitate sua eam putasset destitutam? nullimode enim subiectum rationale operatur, dum passive tantummodo ad alterius actionem se habet; qua de causa dum illa

dicit, constituit humanam Verbi naturam ut *principium quo* operationum, et proinde activam. Secundo, quia relate ad libertatem divinitatis et humanitatis nihil excipiat; cum itaque Verbo tribuat utramque naturam perfectissimam; ergo sicut non negat actiones divinae naturae liberas esse, ita et fatetur esse liberas operationes naturae humanae. 3. idipsum suadet ratio desumpta ex comparatione Dei in animam humanam agentis, et Verbi operantis in suam humanitatem; inquit enim: « Nos enim non unam « operationem vel duas Dominum Iesum Christum « eiusque Sanctum Spiritum percepimus, (1) sed « multiformiter cognoscimus operatum. Scriptum « est enim: Si quis Spiritum Christi non habet, « hic eius non est; et alibi: nemo potest dicere « Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto. Divisiones « vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus etc. « Quibus prolatis Pauli testimoniis prosequitur: Si « divisiones operationum sunt multae, et has omnes « Deus in membris omnibus pleni corporis opera- « tur, quanto magis capiti nostro Christo Domino « haec possunt plenissime coaptari? Et paullo post. « Si...in membris suis Spiritus Christi multifor- « miter operatur, in quo vivunt, moventur et « sunt; quanto magis per semetipsum mediato- « rem Dei et hominum plene ac perfecte, multi- « sque modis et ineffabilibus confiteri nos commu-

(1) Hac loquendi ratione Honorius praeivit Sophronio in epistola Synodica ad Sergium et Patriarchas ita loquenti: *secundum quod Deus quidem est idem ipse est, quae divina sunt; Secundum quod homo, idem ipse est quae humana sunt, seipsum omnibus volens ostendere quod Deus idem ipse, et homo sit.*

« nione utriusque naturae condecet operatum? » (1) Ex quibus ita argumentum instituo. Iuxta Honorium; ita se habuit operatio Verbi ad operationes humanitatis suae, debita proportione servata, sicut se habet operatio Spiritus Sancti relate ad actiones hominum; atqui dum Spiritus Sanctus agit in animam humanam, eius activitatem non impedit, neque efficit ut operationes ipsi tribui non possint aut non debeant; ergo idem dicendum est de actione Verbi in suam humanitatem. 4. Fatetur Honorius Mediatorem Dei et hominum plene et perfecte, multisque modis et ineffabilibus operatum, non simpliciter et absolute, sed communione utriusque naturae; at quomodo id affirmare potuisset, si putasset operationem humanitatis passivam?; non enim humana communicasset operationi Verbi, cum quod passive omnino se habet non communicat alterius actioni, sed patitur; passio vero non est communicatio, cum haec dicat *participationem per liberum voluntatis consensum*. 5. quia unica ratio, qua adversarii negant, humanam operationem ex activo principio procedentem eum admisisse, est, quod Christum vocet operatorem utriusque naturae. At id probabit utique Verbum ab Honorio putatum ut principium quod operabatur etiam in humana natura, non vero ut principium quo operationes eliciebantur. Siquidem nihil aliud est dicta senten-

(2) Identice prorsus cum Honorio Sophronius in epistola cit. dicit: *Sicut enim in Christo utraque natura indiminute proprietatem suam custodit; ita et operatur utraque forma cum alterius communione quod proprium habet, Verbo operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est, communicante ei videlicet Verbo in eadem operatione, dum quando haec in una subsistentia cognoscantur, et in una persona considerentur, et insulsissimam sectionem propellant.* Uterque vero magnum Leonem excripsere.

tia quam compendiosa fidei repetitio, quam ab initio epistolae tradidit; ibi vero tradidisse communem fidem catholicae Ecclesiae, fidem scilicet Chalcedonensem evidentissimis argumentis probatum est; cum autem ex fide hac sequatur operationes Christi humanas a principio activo processisse, quia Christus dicitur perfectus in humanitate, quae sine animae activitate nequit esse perfecta; hinc verissime dico Honorium eandem activitatem in humana Christi natura fuisse professum; cum dicat Christum *plene Deum et hominem*. Atque hinc videmus quantopere ratione loquendi abhorreat, qua Sergius utitur. Hic ad excludendam activitatem humanae naturae utitur similitudine animae humanae agentis in corpus, affirmatque humanitatem Christi ad actiones Verbi se habere ut corpus ad actionem animae, ex quo pronum erat inferre illam omnimodis fuisse passivam; Honorius e contra, spreta omnino illa corporis, utitur ad id explicandum similitudine et comparatione Dei agentis in animam hominis; quae actio divina cum libertatem intactam relinquat, sequebatur, quod etiam humana Christi natura liberrime actiones suas exsereret; ille actiones humanas Christi numquam opera humanitatis appellat, e contra Honorius; hic numquam dicit, omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedere, et ad unum eumdemque redigi, Sergius vero id repetere non cessat; hic diserte affirmat Dei quidem esse agere, carnis autem, id est humanae naturae, pati; id autem neque explicite neque implicite Romanus Antistites fatetur, imo argumentis adductis, excludit. Et post haec erit qui Honorium ut Monothelitam traducat?

Et haec quidem ex prima epistola, quae maximam suspicionem Romanae Cathedrae osoribus ingerit. Si vero alteram legamus, quomodo in dubium revocare poterimus et duas eum admisisse operationes, et ex naturis activis et liberis procedentes? *Utrasque naturas*, inquit, *in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem*. Et paullo post: *pro una quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes*.

Quid in hisce occurrere potest, quod fidem Honorii in dubium revocet? Nonne fatetur utriusque naturae operationes? Nonne utramque activam defendit, dum eas vocat propria operantes atque operatrices? Quandonam natura passiva *operans propria* fuit, *atque operatrix*? Atque notanda est verborum praecisio: dicit enim, quod utraque natura *propria operaretur*; ergo quaelibet ex principio intrinseco et activo operabatur; qui enim ex alio operatur, propria operari dici non potes.

Nonne eandem fidem Patres Concilii VI. definiere Actione XVIII. dum dixerunt: « Undique igi« tur inconfusum atque indivisum conservantes, « brevi voce cuncta proferimus, unum sanctae Tri« nitatis, et post Incarnationem Dominum nostrum » Iesum Christum verum Deum nostrum esse cre-

« dentes, asserimus duas eius esse naturas in una
« eius radiantes subsistentia, in qua tam miracula,
« quamque passiones per omnem sui dispensativam
« conversationem, non per phantasiam, sed vera-
« citer demonstravit, ob naturalem differentiam in
« eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum
» alterius communione *utraque natura propria vel-*
« *let, atque operaretur*; (sunt verba Honorii) iu-
« xta quam rationem et duas naturales voluntates
« et operationes confitemur, ad salutem humani ge-
« neris convenienter in eo concurrentes. » Si igitur ratio quare in Christo duae cognoscuntur naturales voluntates atque operationes, iuxta Concilii VI. Patres, est, quod *utraque Christi natura propria vellet atque operaretur*; huius autem ratio sit, quia Christus fuit *perfectus in deitate et perfectus in humanitate, Deus verus, et homo verus*; quomodo Monothelita erit Honorius noster, qui et utrasque naturas perfectissimas, et utrasque propria operantes atque operatrices confitetur?

Atque hic lector animadvertat velim, putasse Sergium ex testimonio S. Leonis Magni in epistola ad Flavianum: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est etc.* quod Honorius excribit, probari non posse duas Christi operationes, idque a pluribus doctoribus iudicatum. *Diversi probabilium Ecclesiae doctorum ad iustam et veram advocationem praedictae epistolae assurrexerunt, et nullum horum scimus dixisse, quod in praesenti libro duas operationes Leo sanctissimus asseruisset.* Id fortasse Honorium non latuit, cum a Sophronii legato rem edoceri potuerit, atque certissime ex ipsa epistola Sergii deprehendere, in qua citatum testimonium detruncatum affertur, omissis nempe

verbis: *Verbo operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est*; quare, ne ulli scrupulus remaneret, quo sensu citata Leonis sententia intelligi oporteret, addidit post *naturas* verba « *propria operantes*, *atque operatrices*, quod postremum deest in epistola S. Leonis, quodque de cetero rem contra Monothelitas omnino dirimit, eoque abuti non poterant. Atque inde intelligitur quare Monothelitae hanc alteram epistolam numquam allegaverint, quod nempe, ut iam observavi, per eam damnarentur; atque inde pariter percipio quare Constantinus Pogonatus in edicto, quo edixit Concilii VI. fidem ab omnibus esse recipiendam, loquens de haereticis in synodo damnatis, haec de Honorio proferat: *Huiusmodi denique contagione ecclesias contaminaverunt etiam hi qui ante nostra tempora sagrilegi sacerdotes Ecclesias gubernarunt. Sunt autem hi.... et Honorius qui fuit antiquae Romae Papa, huiusmodi haereseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator*; vel *qui etiam sibi non constat*, id est sibi contradicit. (1) Honorius itaque, si Constantino fidem adhibeamus, sibi contradixit in suis ad Sergium epistolis; siquidem ex iis iudicatus est. Iam vero duo in illis tradit, et silentium circa operationum vocabula, et dogmata quae praedicanda erant; at circa silentium sibi Honorium contradixisse non putavit, cum in utraque epistola illud inculcet; censuit igitur sibi contradixisse circa dogmata; cum autem contradictio sit affirmatio et negatio eiusdem de eodem sub eodem respectu; hinc arbitratus est eum prius Monothelismum docuisse et postea impugnasse, vel e contra. Hanc igitur contradictionem existere censuit Imperator vel circa voluntates, vel circa operationes, vel utrum-

(1) Lab. Tom. VI. pag. 1084. Edit. Paris. 1671.

que, ut ego arbitror. Circa voluntates nihil affirmari potest, cum in altera epistola de eis nihil legatur; superest quapropter ut dicatur putasse eum sibi circa operationes contradixisse, quasi nempe in prima epistola confitendo *Verbum unum operatorem divinae atque humanae naturae*, unam operationem docuerit; in altera vero affirmando has duas naturas *propria operantes esse atque operatrices* duas operationes disertis verbis admiserit. Cum autem ex demonstratis certum sit, diverso prorsus sensu, ac Sergius contedebat, ab Honorio Verbum divinum vocatum utriusque naturae operatorem; patet, quod haec contradictio ab Imperatore excogitata, vel a Graecis episcopis, quorum lingua ipse loquebatur, in illius epistolis nullo modo existat; proindeque imperatoris iudicium probare quidem orthodoxiam epistolarum Honorii, non vero earum heterodoxiam.

Attamen Romanus Antistes praecepit a predicatione fidei eliminandum vocabulum duarum operationum; ita quis contra me argumentabitur. At praecepit etiam eliminandum esse vocabulum unius operationis; quaenam igitur erit huius difficultatis conclusio? Nullam ne operationem in Christo admisisse? Cum autem id absurdum putare debeant qui ista obiiciunt, cum praesertim in binis epistolis plurima de operationibus Christi dicat et fateatur; non ex materiali vocabulo, sed ex substantia fidei quam profitetur, et ex aliis capitibus rem esse dirimendam puto, de quibus petractavi; etenim invicte probavi eum profiteri fidem Chalcedonensem, et duas in Christo voluntates activas, ex quibus sequitur necessario dogma de duabus operationibus; observo iterum, nullum circa eius fidem dubium cadere relate ad alteram epistolam, cum profiteri duas naturas *pro-*

pria operantes atque operatrices sit ipsas duas operationes profiteri; at diversam fidem eum tradidisse in prima epistola nemo certe probabit. Si igitur altera eius epistola catholica undequaque est, qua ratione de haeresi poterit prima incusari, in qua eandem fidem profitetur? observo demum, silentium utique indixisse vocabulo duarum operationum, sed ne recrudesceret consopita haeresis nestoriana; sicut et unius operationis vocem abrogavit, ne ea Eutychiani abuterentur ad adstruendam unam Christi naturam; interea voluit omnes profiteri fidem Chalcedonensem; ergo de natura Christi humana eiusque operationibus orthodoxe semper sensit Honorius cum Patribus Chalcedonensibus.

Hinc nil mirum, si spreta professione fidei quam Sergius emiserat, minime dicat se eius assentiri epistolae quoad dogmata, sed probato oeconomico silentio, eum adhortatur ad assentiendum fidei, quam ipse proponit: « *Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter praedicamus, hortantes vos, ut unius vel geminae operationis inductum vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Iesum Christum filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus et humanitus, fide orthodoxa atque unitate catholica praedicetis* » Quae definitio fidei et a S. Leone Magno, et a Synodo Chalcedonensi contra Eutychianos et Nestorianos tradita fuit.

Verum aliquis hic insurgere contra me potest, et dicere: Si fidem ab illa Sergii diversam in suis epistolis Honorius exposuit, quare illum non damnavit ob haeresim, quam profitetur, vel quare saltem non corripuit? Huic difficultati plene satisfa-

ctum esse puto, si 1. consideremus, Sergium, etsi vocabulum duarum operationum eliminatum e praedicatione fidei vellet, tamen vocis etiam unius operationis silentium expostulasse; qua de causa videri poterat ea quae de una operatione activa dicit, pertinaciter non defendere. 2. eum petiisse ab Honorio, ut adderet vel demeret a professione fidei, quam emiserat, quidquid placuerit « Adhortamur « vos sacratissimi haec omnia legere, et Deo pla- « citam ac plenissimam charitatem, quae in vobis « est, nunc quoque sequentes, si quid amplius mi- « nusve inveneritis, hoc per datam Vobis a Deo « gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas « vestras una cum vestra optabili sospitate, quae- « que super his vobis fuerint placita, significare. 3. scopum Honorii fuisse, mediante utriusque vocabuli silentio, pacem in Ecclesia servare, et consopitae haereses ne iterum excitarentur, cavere. Ex his vero deducitur non debuisse ab eo Sergium manifeste redargui de haeresi, quam profitebatur; primo quidem quia haereticus formalis non apparebat, cum non peteret definitionem unius operationis et voluntatis, sed silentium super utrumque vocabulum; deinde quia fidem suam subiiciebat iudicio Romani Pontificis, eaque de causa se paratum exhibebat ad amplectendam eam fidemi, quam hic fuisset docturus; tertio, quia illa redarguto fuisset contra finem, quem sibi praefixerat Romanus Pontifex; ea enim explicite definivisset retinendum vocabulum duarum operationum, aliud vero abrogandum, dum utriusque vocis silentium inculcabat; demum, quia epistola sua satis manifeste doctrinam Sergii refutabat, cum et duas voluntates et duas operationes, etsi aliis verbis admitteret, atque traditam a se doctrinam ei praedi-

care inculcaret. Concludo igitur, Honorium ex binis hisce ad Sergium epistolis minime haereticum, sed virum plane catholicum habendum esse, cum doctrina ab ipso exposita eadem sit cum doctrina Ecclesiae, quam et antiqui Patres nostri, et nos ipsi profitemur.

Dixi superius Honorium loquendi rationem mutuatum esse ex epistola S. Leonis Magni ad Flavianum, eamque prae oculis habuisse dum Sergio responderet. Ut unusquisque videat quam vere id asseruerim, utriusque sententiarum collationem instituo.

S. Leo.	Honorius
Num. 1. Lectis dilectionis tuae litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus; et quae prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt.	*Num.* 1. Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, per quae contentiones quasdam, et novas vocum quaestiones cognovimus introductas .. quarum litterarum suscipientes exemplar... laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.
Num. 1. In hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur errore, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt.	*Num.* 1. Nos enim in quo percepimus oportet ambulare. Enim vero, duce Deo, perveniemus usque ad mensuram rectae fidei, quam Apostoli veritatis scripturarum Sanctarum funiculo extenderunt. *Et num.* 5. *Ne* unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque evangelicae, vel apostolicae litterae, neque Synodalis examinatio super his habita visae sunt terminasse; nisi fortassis,.. quidam aliqua balbutiendo docuerunt.

S. Leo	Honorius
Num. 2. Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere; conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum Matris Virginis.	*Num.* 2. Christus Dominus in similitudine carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit... quia sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatae naturae.
Num. 2. An forte ideo putavit Dominum nostrum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad Beatam Mariam semper virginem Angelus ait: Spiritus sanctus superveniet in te etc. ut quia conceptus Virginis divini fuit operiris, non de natura concipientis fuerit caro concepti?	*Num.* 2. Et non de coelo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice.
Num. 3. Assumpsit formam servi sine sorde peccati. *Et num.* 4 Assumpta est de matre Domini natura, non culpa.	*Num.* 3. A divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.
Num. 3. Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae.	*Num.* 2 *Ep.* 1. Mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis. *Et num.* 2 ep. 2. Naturarum differentias integras confitentes.
Num. 3. Nostra autem dicimus, quae in nobis ab initio Creator condidit, et quae reparanda suscepit. Nam illa, quae deceptor intulit, et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium.	*Num.* 3. A divinitate assumpta est nostra natura; illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.
Num. 4. Ingreditur ergo haec mundi infima Filius Dei, de coelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invi-	*Num.* 2. *ep*, 2. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, aequalis Patri et minor Patre, ipse ante tempora natus in tempore est; per quem facta sunt saecula factus in sae-

S. Leo

sibilis in suis, visibilis factus est in nostri', incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens esse coepit ex tempore. Universitatis Dominus servilem formam, obumbrata maiestatis suae immensitate suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subiacere.

Num. 4. Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est.

Num. 4. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Unus enim idemque est...vere Dei filius. et vere hominis filius.

Num. 5. Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de coelo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde Unigenitum Filium Dei crucifi-

Honorius

culo est; et qui legem dedit factus sub lege est, ut eos, qui sub lege erant, redimeret..

Num. 2. *ep.* 2, Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem.

Num. 2. Et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et carneus effectus plene Deus et homo.

Num. 2. Passiones et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utrisque naturis, Verbum caro factum, et habitavit in nobis, ipse filius hominis de coelo descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus maiestatis, dum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones....Si enim cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent. Dum profecto divinitas nec crucifigi po-

S. Leo	Honorius
xum et sepultum omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli: Si enim cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent.	tuit, nec passiones humanas experiri, vel perpeti; sed propter ineffabilem coniunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco utrobique et Deus dicitur pati, et humanitas ex coelo cum divinitate descendisse.
Num. 5. Omnia recentissimae passionis signa monstrabat, dicens: Videte manus meas etc. ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere, et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, ut unum Dei filium et Verbum confiteremur et carnem.	*Num.* 2. Veritas in Evangelio ita inquit; Nullus ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter, atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur coniungi. Ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri.
Num. 6. Deus te incolumem custodiat frater charissime.	*Num.* 8. Deus te incolumem custodiat dilectissime atque sanctissime frater.

Ex his vero intelligimus Honorium ex epistolis Sancti Leonis plurima excripsisse, plurima etiam fuisse imitatum; ita ut dubitare nequeamus quin huius fidem tradere voluerit; non enim excripsit sententias, quae ad dogmata ecclesiastica non pertinerent, sed eas prorsus veritates, quae partem dogmaticam epistolae constituunt. Qua de causa tam vere de Monothelismo accusari potest, quam vere de eiusmodi impio dogmate ipse Leo Magnus accusaretur.

CAPUT VIII.

DE AUCTORITATE EPISTOLARUM HONORII

Plurimi, iique praestantissimi viri tam antiqui quam recentes defendunt Honorium epistolas suas ad Sergium scripsisse non ut catholicae Ecclesiae principatum gerentem, sed ut privatam personam; cum alii multo illis prudentiores id exploratum non esse contendant; prudentiores hos appello, cum reapse multa suppetant argumenta, quibus eorum sententia, qui has epistolas uti privatas defendunt, refutari possit. Operae pretium esse duco ea concinne prorsus in medium proferre, ut quid hoc in capite tenendum sit, dignoscatur. Haec vero argumenta desumo 1. ex intentione et verbis Sergii. 2. ex mente et verbis Honorii. 3. ex catholicorum et monothelitarum facto.

Et quoad primum argumentorum genus. Sergium ad Honorium scripsisse ut ad R. Pontificem, non autem ut ad privatam personam, satis manifestum esse arbitror, ex quo animo revolveret illius auctoritate silentium duarum operationum vocabulo indicere, statuere vero fidem et sententiam unius operationis, ut probavi cap. 3. huius dissertationis. Agebatur itaque non de negotio privato, sed de re omnibus fidelibus Ecclesiae orientalis indicenda, et ex qua illius Ecclesiae tranquillitas, et integritas fidei pendebant. At, quaeso, quo nomine hisce Honorius occurrere poterat? ut privata persona, vel ut successor Petri habens primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam? Certe eo nomine, quo posset partium dissidentium dissensiones compescere.

Voluit ergo Sergius ad eum scribere, ut ad eiusmodi auctoritate praestantem, cui omnes obedire tenerentur.

2. Haeresim fuisse unam e maioribus causis iudicio Apostolicae Sedis reservatis, adeo exploratum est, ut ad id probandum argumenta afferre supervacaneum existimem. At quaestionem, de qua R. Antistitem certiorem Sergius reddebat, de fide fuisse, quis unquam in dubium revocabit, si ipsum audiat affirmantem per duas voluntates Christi introduci voluntatum ipsarum pugnam, quod impium esset; atque per duas operationes vel unam iterum excitari haereses Nestorianam et Eutychianam; ex eiusmodi demum quaestionibus haereseon dissensiones effici? Eam igitur ad tribunal Romanae Sedis detulit ut quid tenendum esset Successor Petri decerneret, non autem Honorius privata persona.

3. Cum Patriarcha Cplanus Romam epistolas misit, quaestionem summopere excrevisse patet ex iis quae dicit n. 13. *Nos enim quae dudum mota sunt memoria retinentes, et tumultum qui ex huiusmodi motione coepit, scientes*; eaque ratione necessitate compulsum se dicit de re ad R. Antistitem scribere: *rationabile simul et necessarium iudicavimus de his, quae partim memorata sunt cognitionem dare vestrae fraternae atque unanimi Beatitudini.* Sergius itaque fatetur se epistolas mittere iuxta receptam consuetudinem deferendi ad tribunal R. Ecclesiae quamcumque exorientem circa fidem quaestionem. Nemo autem non novit hisce de rebus literas ad Rom. Pontificem mitti, ut ad universae Ecclesiae Primatem, sicut missae fuerant ab Alexandro et Cyrillo Alexandriae et a Flaviano Cplis Episcopis, ut ceteros praetermittam.

4. Quibus addo quod si Sergii mens accurate perspiciatur, innuit se ad R. Episcopum ideo scribere, quia cum ipse plurimam adhibuerit operam ad silentium indicendum, tamen res sibi pro voto non cesserat, praesertim postquam Sophronius Cyro capitulum VII. cum Theodosianis pacisenti validissime contradixerat. Credibile autem ne est voluisse Sergium privatae personae auctoritate comprimere quaestionem, quam patriarchali non potuerat? et pluris fecisse privatae personae iudicium, quam illud a semetipso latum ut Patriarcha? Auctoritas siquidem patriarchalis maior est auctoritate R. Pontificis ut privata persona considerati.

5°. Nedum de quaestione exorta certiorem simpliciter fecit Honorium, sed et acta transmisit, quae ad illam referebantur, ut patet tum ex iis quae dicit N. 4. *Nihil tamen penitus in huiusmodi nostris rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse Vos Sacratissimos et unanimes, relegentes eorum, quae missa sunt exemplaria*, tum ex iis quae profert n. 14. *iudicavimus de his cognitionem dare vestrae paternae Beatitudini, et adhortamur vos sacratissimi haec omnia legere.* Qua de causa iudicium plenum et perfectum; imo decretum proprie dictum Sergius expetebat, quod posset Cyro, Sophronio, et universae Orientali Ecclesiae, in quam sibi potestatem arrogabat, communicare; secus enim ad quid acta misisset? sententiam igitur privatae personae ipse non postulabat, sed qualis a supremo fidei iudice emitti solebat.

6°. Honorium rogat ut corrigat si quid imperfecte dictum fuisset nedum a se, sed etiam ab illis, quorum scripta trasmittebat. Ergo Sergius illius auctoritati et iudicio subiiciebat fidem trium Patriar-

charum, et illorum omnium, qui eorum parti studebant. Subiiciebat autem ut privatae personae? Quamnam enim auctoritatem in tres Patriarchas, et fere in universam Ecclesiam Orientalem (si excipias fortasse Patriarcham Antiochenum, de quo nulla in hisce epistolis mentio occurrit) R. Pontifex ut privata persona exercere poterat? Nonne Sergio decretum ostendenti respondere potuissent, parvipendendum esse cum ab Ecclesiae capite non prodierit?

7°. Demum, quo indicio deprehendere possumus Sergium agnovisse distinctionem illam inter R. Pontificem, et privatam personam, ex qua saltem suspicari nobis liceret eum forsitan Honorium interrogasse ut privatum doctorem? Si igitur ex Patriarchae Cptani mente rem dirimere velimus, concludendum omnino est eum iudicium apostolicum expostulasse et sententiam ferendam ab Honorio ut qui gereret totius catholici orbis episcopatum.

Ut autem alterum genus argumentorum proferam.

1°. Epistolas Honorii ad Sergium a Romana Synodo conscriptas esse, ex testimonio S. Maximi cap. praeced. citato satis liquet. Ad quid autem illam Synodum collegit Romanus Pontifex si ut privata persona Sergio respondere voluit? Certissimum autem in historia est literas, quas Romani Pontices mittebant ut supremi in terris Christi Vicarii, confici solere a Romana Synodo (1).

2°. Hisce in epistolis fidem proponit, quam omnes sequi debeant. *Enim vero duce Deo perveniemus usque ad mensuram rectae fidei.* Et: *haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut nos ea vobiscum unanimiter praedicamus.* Non possunt ergo privatae dici, cum decreta de fide

(1) Cf. L. Holstenium in notis ad Synodum Romanam Bonifacii.

numquam Romani Pontifices ut privatae personae ferant, sed ut iudices et Pastores supremi omnium Ecclesiarum. Siquidem huiuscemodi decreta per se auctoritatem dicunt.

3°. Universae Orientali Ecclesiae mandat ut servetur circa operationum vocabulum silentium, et interea ut omnes profiteantur fidem Chalcedonensem. *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio Antistitibus, ne novae vocis, id est unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed... unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem*. Ep. 2. Neque difficultatem facessit, quod in prima epistola haec verba desint; nam respondet Sergio interroganti pro universis Ecclesiis, in quibus illa quaestio efferbuerat; qui deinceps ut novae Romae praesul auctoritatem exercebat in universas Orientis Ecclesias, ex quo nomen sibi primum Patriarcharum oecumenicorum Cptani Episcopi sibi arrogarunt; atque de cetero, Cyrus ad Sergii voluntatem omnino sese accommodare dicebat, sicut et Sophronius dixerat; ad quem nec scribere Honorius poterat, cum eius Synodicas epistolas nondum accepisset.

4°. In secunda epistola professioni fidei a S. Leone Magno emissae, et in Concilio Chalcedonensi receptae addit vocem *operatrices*; ideoque exponit sensum dogmaticum illius sententiae, atque praecipit ut omnes ita credant; at id privatae personae non licuisset.

5°. Quia voluntatem humanam Christi omnino divinae conformem dicit, praedicat, et activam adstruit, excluditque de cetero repugnantiam, quam inter illas Sergius introducebat, peccatum in-

super originale a Christo excludit contra haeresim quae tunc exorta fuerat; qua de causa cum Sergius decretum expostularet, et Honorius quae a se scripta fuerant, omnino tenenda esse affirmet, et praedicanda *fide orthodoxa atque unitate catholica*, omnino sequitur eius epistolas latas auctoritate Apostolica fuisse.

6°. Demum nonne auctoritatem Pontificiam exigebat silentium illud universae fere Orientali Ecclesiae indicendum?

Atque hinc factum videmus (et hoc est tertium argumentorum genus) ut tam Monothelitae, quam catholici Honorii epistolas uti ab Ecclesiae primate latas censuerint.

Quoad Monothelitas res est certissima ex S. Maximo affirmante abusos esse illos auctoritate Honorii ad indicendum oeconomicum silentium, eiusque epistolas vocasse *decretum* sedis Apostolicae; *nec adversus ipsam Apostolicam Sedem mentiri temere pigritati sunt, sed quasi illius effecti consilii, et veluti quodam ab ea recepto decreto, in suis contextis pro impia Hecthesi actionibus secum magnum Honorium acceperunt* (1).

2°. Patet ex Paulo Monothelita affirmante in epistola ad Theodorum Papam Sergium et Honorium Monothelismum docuisse «*Quibus concordantes facti sunt piae memoriae Sergius et Honorius; unus quidem novae, alter autem antiquae Romae summi sacerdotii sedem decorantes*; At hunc loqui de hisce ut personis auctoritate ecclesiastica praestantibus dubitare non licet.

3°. Quia Monothelitae dum S. Vitalianum Papam e sacris diptycis expungere, Honorii nomen

(1) Cf. pag. 108 huius dissertationis.

retinere volebant, ut patet ex Epistola Constantini Pogonati ad Donum. *Multam instantiam fecerunt... ut eiiceretur Vitalianus beatissimus de diptycis, asserentes Honorium memorari in diptycis propter honorem apostolicae sedis antiquae nostrae Romae* (1). At nomina episcoporum recitabantur in diptychis qua episcopi erant, non qua privatae personae. Cum itaque Honorii nomen, ideo publice in Ecclesia legerent, quod eum Monothelismum in suis epistolis arbitrarentur docuisse; ex hoc etiam concludere possumus putasse eos scriptas illas auctoritate pontificia fuisse. Si enim ut a privata persona exaratas existimassent, iam et illius nomen e sacris diptycis abrasissent, cum qua episcopus erat, non fuisset Monothelita.

Catholicos vero Monothelitarum iudicium confirmare patet.

1. Ex citato S. Maximi testimonio, in quo nequaquam negat decretum illud latum a Sede Apostolica fuisse, sed tantummodo Monothelitas reprehendit quod falsa ratione illud exponerent.

2°. Ex S. Agathone in epistola ad Imperatores, in qua de Honorio loquitur ut de illo, qui apostolica auctoritate obstiterit dogmati Monothelitico. *Unde et Apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores dominicis instructi doctrinis... numquam neglexerunt eos hortari . . . ut a pravi dogmatis haeretico errore saltem tacendo desisterent.* Cum autem alii Pontifices auctoritate apostolica Monothelismum impugnaverint in suis epistolis; ergo etiam Honorius silentium Monothelitis indixit qua Pontifex erat.

(1) Lab. Tom. VI. Concil. Col. 598.

3. Ex Patribus Concilii VI. qui ActioneXIII. tum Sergii, tum Honorii epistolas dogmaticas vocant: *retractantes dogmaticas epistolas*, qui insuper semper de hoc loquuntur ut de Romano Pontifice.

4. Quia tum Orientales in Concilio VI., tum S. Leo II. et successores Pontifices Honorium damnarunt ut Ecclesiae universae episcopatum gerentem; quod infra ero demonstraturus.

5°. Quia numquam catholici innuunt se distinctionem illam cognoscere inter Honorium ut privatam personam, et Honorium ut Papam consideratum.

Ex his vero argumentis, ni fallor, apparet potius Honorii epistolas auctoritate apostolica latas esse, quam privato hominis iudicio.

CAPUT IX.

PATRES ORIENTALES (1) IN CONCILIO VI. DAMNARUNT HONORIUM UT HAERETICUM

Hoc in capite quamvis Graecorum sententiam instaurare videar, qui arbitrati sunt Honorium in VI. Synodo ut haereticum damnatum fuisse, tamen non moveor; tum quia non omnia quae Graeci sive catholici sive schismatici scripserunt, veluti falsa putanda sunt; tum quia plurimi etiam Latinae Ecclesiae auctores strenue idipsum defenderunt, atque piaculum ab hac sententia recedere putarunt. (2) Tot enim ac tanta pro ea documenta militant, ut putem facilius posse defendi Acta Concilii VI. foede fuisse a Monothelitis corrupta, quam ex documentis extantibus demonstrare Honorium negligentiae et non haeresis fuisse damnatum. Et ut sincere dicam; qui contrariam sententiam defendunt, ideo ei anathema dictum negligentiae causa putarunt, quia cum negare non possent eius epistolas plane catholicas esse, si haeresis damnatum scripsissent, non videbant quomodo conciliari posset infallibilitas Concilii VI. cum hac damnatione. At infra demonstrabo non absolute Concilii alicuius oecumenici patres

(1) Ideo dico Patres Orientales, quia capitibus sequentibus plurimis argumentis propugnabo, Concilium VI. dum Honorium damnavit neque legitimum, neque oecumenicum fuisse; damnationem illam quapropter non esse tribuendam iudicio Ecclesiae; sed privatae sententiae Episcoporum Orientalium.

(2) Qui alterutram sententiam defendunt legi possunt apud Matranga in notis ad Mamachium. Orig. et antiquit. Tom. VI. pag. 77. Nota 6.

esse infallibiles, sed sub aliqua praesertim conditione, quae nisi adimpleatur, eiusmodi numquam esse poterunt; hanc vero spretam omnino ab illius Concilii episcopis fuisse.

Interea dico hanc esse quaestionem facti, quae ex documentis extantibus sit omnino dirimenda; ex quibus proinde si constiterit reapse a Patribus VI. Synodi Honorium damnatum haeresis fuisse, eorumque sententias alio sensu exponi non posse; insuper idipsum affirmasse antiquissimos probatissimosque scriptores, iam demonstratum erit quod ab initio affirmavi; et corruant necesse est quae dicunt adversae sententiae patroni (1)

Ut itaque argumenta proferam. Actione XII. post epistolam Sergii ad Honorium, lectum est huius ad eum rescriptum ex codice oblato a Macario Antiocheno ad Costantinum Imperatorem, illudque collatum fuit cum epistola authentica latina, quae delata fuerat, sacro iubente concilio, ex Archivio Ecclesiae Cptanae per Georgium Diaconum et Chartophylacem, atque cum originali omnino constitit. Iudicium vero dilatum fuit ad actionem XIII; in

(1) Qui de cetero unico fere argumento nituntur, quod ita proponunt: Leo II. optimus fuit Concilii VI. interpres. Atqui ipse confirmando acta Concilii damnavit Honorium negligentiae; ergo negligentiae hic damnatus a Sextae Synodi Patribus fuit. At maior huius Syllogismi est falsa; non enim interpetrem egit Leo sententiae contra Honorium latae, sed illam abrogavit. Ab illis vero qui defendunt acta Concilii huius corrupta a Monothelitis fuisse circa ea quae in illis de Honorio habentur; mea sententia omnino concedenda est; si enim huius nomen ibi interpolarunt, certe ut probarent eum monothelitam extitisse, et ob monothelismum damnatum. Quare nullimode distinguere poterant inter illius, et reliquorum haereticorum scripta; inter horum et illius damnationem. Non hisce tamen sententiam meam probare conabor, sed ex documentis, quae rem omnino dirimant.

qua relectis Actis praeteritae Actionis, haec circa utriusque Episcopi epistolas sententia lata fuit. « Retra-
« ctantes dogmaticas epistolas, quae tanquam a Ser-
« gio quondam Patriarcha huius a Deo conservandae
« regiae urbis scripta sunt, tam ad Cyrum qui tunc fu-
« erat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium quon-
« dam Papam antiquae Romae; similiter autem et
« epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam ad
« eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alie-
« nas existere ab apostolicis dogmatibus, et a defini-
« tionibus sanctorum conciliorum, et cunctorum pro-
« babilium patrum, sequi vero falsas doctrinas haere-
« ticorum, eas omnino abiicimus, et tanquam animae
« noxias execramur. Quorum autem, id est eorundem,
« execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei
« Ecclesia proiici curavimus, id est, Sergii quondam
« praesulis huius a Deo conservandae regiae urbis,
« qui aggressus est de huiusmodi impio dogmate
« conscribere, Cyri Alexandriae, Pirrhi, Petri et
« Pauli, qui et ipsi praesulatu functi sunt in sede
« huius a Deo conservandae civitatis, et similia
« eis senserunt; ad haec et Theodori quondam Epi-
« scopi Pharan, quarum omnium supra scriptarum
« personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus
« ac ter beatissimus Papa antiquae Romae in sug-
« gestione, quam fecit ad piissimum et a Deo con-
« firmatum Dominum nostrum et magnum impe-
« ratorem, eosque abiicit, utpote contraria rectae
« fidei nostrae sentientes, quos anathemati submitti
« definimus. Cum his vero simul proiici a sancta
« Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari
« praevidimus et Honorium, qui fuerat Papa anti-
« quae Romae, eo quod invenimus per scripta,
« quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus

« eius mentem secutus est, et impia dogmata con-
« firmavit. »

Tria hoc in decreto observanda sunt, 1. conglobatim iudicium latum esse de scriptis Sergii, Cyri, Petri etc. et Honorii, atque dictum ea inveniri aliena *ab apostolicis dogmatibus, definitionibus conciliorum, et cunctorum probabilium patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum.* Ergo idem iudicium latum est de epistolis Sergii, Cyri, Theodori etc. ac de Honorii epistolis; atqui illorum scripta ut prorsus haeretica abiecta sunt et damnata; ergo et huius scripta; 2. iudicium latum esse circa dogmata, non circa oeconomiam silentii servandi: *retractantes dogmaticas epistolas... easque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus etc.* 3. demum illorum omnium epistolas eodem censu repositas fuisse, dum eas dicunt *sequi falsas doctrinas haereticorum.* Atqui epistolae quae continere iudicatae sunt eadem ac scripta Sergii Cyri et Theodori Pharanitani huius haeresis inventorum, quae alienae existere a catholica doctrina, sequi vero haereticorum sententias omninò ut haereticae habentur et damnantur; ergo Honorii epistolae a Patribus Synodi VI, ut haereticae damnatae sunt, et habitae.

2. observandum est, postea iudicium latum esse de personis, et damnatos nominatim Sergium, Pirrhum, Petrum, Paulum, et Theodorum, quod ipsi iam fuerint etiam ab Agathone damnati utpote contraria rectae fidei sentientes.

Quibus 3. accensent et Honorium, eumque ab Ecclesia proiiciunt, quod eum invenerint *per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium quia in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogma-*

ta confirmavit. Atqui et haec personalis Honorii damnatio de formali haeretico intelligenda est; siquidem ut ipsum damnent, iterum ad scripta recurrunt; sed supra scripta eius damnata sunt ut contraria catholicae et apostolicae doctrinae; ergo etiam ipse a Patribus orientalibus ut haereticus damnatus fuit eodem nempe sensu quo Sergius, Cyrus etc fuerant damnati. Unum est tantummodo discrimen, quod nempe illi fuerint haeresis inventores, hic vero confirmator; at profecto non minus haereticus est ex. gr. Melanctonius qui Lutheri haeresim secutus est, quam hic qui eam excogitavit (1) Ut ingenue dicam; ego non video quomodo haec Patrum orientalium sententia contra Honorium lata emolliri possit, atque pertrahi ad negligentiam. Siquidem loquuntur de doctrina, atque de eius epistolis eodem pacto loquuntur ac de illis Cyri et Sergii; dicunt eum in omnibus mentem Sergii secutum esse; dicunt confirmasse impia dogmata per scripta quae ab eo facta sunt; haec vero quomodo de negligentia intelligi possunt ?

At dicunt, qui contrariam sententiam defendunt: ideo illa protulerunt Patres, quod Honorius Sergio non resistendo, impia eius dogmata confirmasse visus sit. At, quaeso, unde ista deducunt ? Si enim haec illorum mens fuit, quomodo in eodem censu reponere scripta Sergii et Honorii potuerunt ? quomodo dicere ea adversari *apostolicis dogmati-*

(1) Haec est unica differentia, quae reperiri liceat in damnatione Sergii Cyri etc. et Honorii; quod illi scilicet fuerint haeresis inventores, Honorius vero sectator et confirmator. Et ex hoc discrimine, concludunt adversae sententiae patroni, (est secundum et postremum eorum argumentum) quod negligentiae et non haeresis fuerit damnatus.

bus, definitionibus conciliorum, et cunctorum probabilium patrum ? Si enim Romanae Ecclesiae Papa negligens tantummodo fuit, Sergii dogmata secutus non est, neque professus. Fortasse ne doctrina et negligentia unum idemque sunt ? aut haeretici, de quibus Patres agunt, negligentes et non vere haeretici fuere ? Si igitur idem iudicium de Sergii et Honorii scriptis tulerunt, utrumque ut haereticum damnarunt. Non me latet tamen ea, quae aliquo in loco duriora videntur, mitius explicari posse aliis sententiis, quae ea de re inveniantur; at profecto nullum ex universis VI Synodi actis testimonium proferre licet, quod mitiori ratione explicare possimus. Revera de Honorio locuti sunt etiam sub fine eiusdem XIII. actionis, in qua lecta est altera eius epistola una cum illa Pirrhi ad Ioannem Papam , atque de iisdem eiusmodi latum iudicium. « Sanctum Concilium dixit: cognitionem accipien« tes prolatorum nobis a Georgio Dei amabili dia« cono et chartophylace huius sanctae magnae Dei « Ecclesiae, libellorum, atque chartarum, sive alio« rum opusculorum , comperimus in unam eam« demque impietatem concurrere. Et praevidimus « profana et animae perniciosa continuo ob per« fectum exterminium igne concremari. Et com« busta sunt. »

Ut autem appareat his verbis idem prorsus iudicium de utrisque epistolis latum esse, animadvertere iuvabit scripta Pirrhi omnino fuisse profana et animae perniciosa, id est haeretica; sicut igitur Pirrhus ut haereticus damnatus est, ita et Honorius, de cuius scriptis eadem dicta sententia fuit.

Similiter Actione XVII. Georgius Patriarcha Cpianus regabat Synodum ita. « Ego et quidam

« pauci, qui sub sede mea sunt venerabiles epi-
« scopi, propter dispensationem rogamus, ut si pos-
« sibile est, nominatim non anathematizentur per-
« sonae in exclamationibus, id est Sergius, Pirrhus,
« Paulus et Petrus. « At sancta Synodus respondit:
« eos qui semel *condemnabiles demonstrati sunt*,
« et secundum sententiam nostram iamdudum eie-
« cti de sacris diptycis, opportunum existit etiam
« in exclamationibus hos nominatim anathemati-
« zari. « Atque hinc exclamare coeperunt » Theo-
« doro Pharanitano haeretico anathema, Sergio
« haeretico anathema, Cyro haeretico anathema,
« Honorio haeretico anathema, Paulo haeretico
« anathema, omnibus haereticis anathema, omnibus
« qui suffragantur haereticis anathema ».

Ut quisque videt; hoc in loco ii omnes anathemati subiiciuntur, qui et formales haeretici extiterunt, et uti tales a Patribus iudicati sunt; cum itaque nulla distinctio de Honorio fiat, et ipse ut haereticus damnatus est; vocatur enim haereticus ut omnes alii; ut aliis omnibus ipsi anathema dicitur. Quin imo, si alia mens circa eum insedisset Patribus illis, quare inter illos saltem non accensuere, quibus anathema dictum est, quia suffragati sunt haereticis? at minime; illum e contra anathematizant inter Cyrum et Pirrhum, qui prorsus haeretici erant.

Neque diversam protulere sententiam in expositione fidei, quae lecta est Actione XVIII; siquidem et in ea ut haereticus damnatur; lectis enim symbolis Nicaeno et Cptano, sanctum et universale Concilium dixit: « Sufficiebat quidem ad perfectam or-
« thodoxae fidei cognitionem atque confirmationem
« pium atque orthodoxum hoc divinae gratiae sym-

« bolum. Sed quoniam non destitit ab exordio ad« inventor malitiae cooperatorem sibi serpentem « inveniens; ita et nunc organa ad propriam sui « voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus, « qui fuit Episcopus Pharan, Sergium, Pirrhum, « Paulum, Petrum, qui fuerant huius regiae urbis « antistites; insuper et Honorium, qui fuit Papa an« tiquae Romae, et Cyrum, qui Alexandriae tenuit « episcopatum, Macarium quoque, qui nuper fuerat « Antiochiae praesul, et Stephanum eius discipulum; « non cessavit per eos plenitudini Ecclesiae erroris « scandala suscitare, unius voluntatis et unius opera« tionis in duabus naturis unius de sancta Trinitate « Christi veri Dei nostri, orthodoxae plebi novisone « disseminando haeresim consentaneam insanae ac « malitiosae sectae impiorum Apollinarii, Severi « atque Themistii, (1) quae et perfectionem huma« nitatis unius eiusdemque Domini Iesu Christi Dei « nostri molita est per quamdam dolosam adinven« tionem perimere, per hoc involuntariam et inope« ratricem carnem eius, quae intellectualiter ani« mata est, infamiter introducens. »

Diabolus itaque, si Patribus Orientalibus credamus, loquebatur eodem pacto per os Honorii, ac per os Sergii, Pirrhi et Pauli *unam voluntatem et unam operationem*; eodemque pacto per eos renovabat haeresim Apollinaris et Severi. At qui ita senserunt damnati sunt a Patribus ut haeretici; ergo etiam Honorius eodem censu repositus est, quem putarunt idem prorsus sensisse cum illis, imo diabolum per

(1) Ex his apparet quam vere scripserim cap. VII. huius dissertationis, Monothelitas specie quidem profiteri se dixisse fidem Chalcedonensem, reapse vero abiecisse.

os eius quoque locutum *unam voluntatem et unam operationem.* (1) Quibus addendum puto, quod lecta fidei expositione, interrogati sunt Patres ab Imperatore an de omnium consensu promulgata fuisset, cui postquam respondissent: *omnes ita credimus, una fides, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subscripsimus, orthodoxe omnes credimus. Haec est fides Apostolorum, haec est fides Patrum, haec est fides orthodoxorum* etc; his, inquam prolatis, iterum exclamare coeperunt. « Theodoro Pharanitae ana-« thema, Sergio et Honorio anathema, Pirrho et « Paulo anathema, Cyro et Petro anathema..... « omnibus haereticis anathema. Qui praedicave-« runt, et praedicant, et docent ac docturi sunt « unam voluntatem et unam operationem in di-« spensatione Domini nostri Iesu Christi, anathema.» Ideo igitur anathema Honorio a Patribus dicitur, quia praedicaverat *unam voluntatem et unam operationem*; sed qui haec scripserant dixerantque damnati ut formales haeretici fuere; quomodo igitur diversam sententiam de eo protulisse dici possunt?

Quid vero in Sermone acclamatorio ad Imperatorem? Nonne et ibi damnatur veluti ille qui Sergii mentem in omnibus secutus sit? « Duas « igitur in eo, inquit sermonis auctor, naturales « voluntates, et operationes communiter atque in-

(1) Haec autem quomodo ad negligentiam Honorii significandam trahi possunt? immo quomodo non sunt necessario de eius fide intelligenda? Secus enim explicent contrariae sententiae defensores quomodo inter se haec cohaereant. *Patres Concilii VI. damnarunt Honorium quod Monothelismum negligentia confoverit,* Et: *diabolus non cessavit etiam per Honorium erroris scandala suscitare unius voluntatis et unius operationis in duabus naturis... Christi veri dei nostri*; quae sunt ipsa verba Patrum sextae synodi.

« divise procedentes praedicamus. Superfluas au-
« tem vocum novitates et harum adinventores pro-
« cul ab ecclesiasticis septis abiicimus, et anathe-
« mati merito subiicimus; id est, Theodorum Pha-
« ranitanum, Sergium et Paulum, Pirrhum simul
« et Petrum, qui Cpleos praesulatum tenuerunt; in-
« super et Cyrum, qui et Alexandrinorum sacer-
« dotium gessit, et cum eis Honorium, qui fuit Ro-
« mae praesul, qui eos in his secutus est....et
« omnes qui constituerunt, vel constituunt, consti-
« tuereve praesumpserunt unam voluntatem et unam
« operationem in dispensatione humanitatis Christi.»

Neque movere nos debet in cit. testimonio dici de Honorio, quod in his eos secutus est; quasi diversa ratione illum condemnare voluerint; nam praedictis verbis innuunt, eum non fuisse haeresis auctorem praecipuum seu inventorem, sed tantummodo consentientem et confirmatorem; de cetero haereticum ut alios omnes. Deinde si ad negligentiam eius ea verba traducantur, to *in his* non deberet referri ad dogmata, sed ad oeconomicum silentium; at quisque videt quod ad doctrinam referatur; indigitat enim *superfluas vocum novitates et adinventores earum*; indigitat verba antecedentia: *hoc namque conabantur qui nuper in eo unius voluntatis et unius operationis execrabilem novitatem introduxerunt*, quae verba haeresim proprie dictam dicunt. Insuper secutus dicitur Sergium et Theodorum Pharanitem; at hi damnati non sunt propter silentium tantummodo, sed praecipue propter haeresim; ergo etiam Honorium propter eandem causam censuerunt Patres VI. Synodi damnandum.

Idipsum confirmatur ex epistola Synodica ad Agathonem R. Pontificem missam, in qua haec habentur. « Inde fundamenta execrandae eorum

« haereseos prorsus convellentes, eosque armis spi-
« ritualibus paternisque aggredientes, et linquas eo-
« rum, ne inter se accommodate loquerentur, con-
« fundentes, extructam ab iis impiissimae haeresis
« turrim subruimus, ac ipsos ut lapsos circa fidem
« ac peccatores, in matutinis extra castra atrio-
« rum Dei, ut davidice loquamur, anathematibus
« interfecimus, ex sententia per sacras vestras literas
« de iis prius lata, videlicet Theodorum Episco-
« pum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Pau-
« lum, Pirrhum et Petrum. Ad hoc autem et
« post eos anathematibus haereticorum iuste su-
« biecimus et eos qui vivunt, suscepta illorum im-
« pietate etc. » Quo in loco 1. Patres reponunt Honorium inter haereticos proprie dictos, cum iisque condemnant; 2. vero dicunt se illum damnare ex sententia ipsius Agathonis; hunc vero damnasse qui Monothelismum docuerant susceperantque nullus est qui ambigat, ergo et ipsi eodem sensu damnarunt Honorium.

Ex testimoniis itaque, quae pertinent ad Acta Synodi VI omnino evincitur damnatum eum ut haereticum fuisse. Videamus nunc utrum ex aliis documentis idipsum demonstrari possit.

Et a principio observo, in decernendo sensu alicuius sententiae, quae praesertim facto innititur, a recentioribus standum esse fidei et iudicio antiquorum scriptorum, nisi vel documenta eiusdem auctoritatis, vel saltem aliqua evidens ratio contrarium suadeant. Si igitur testes producam omni exceptione maiores, qui affirment in VI. Synodo prolatum anathema contra Honorium fuisse ut in haereticum proprie dictum, quis unquam hanc sententiam in dubium revocare poterit? Atqui hi testes praesto sunt.

Et 1. Costantinus Pogonatus qui Concilio inter fuit, certe noverat quo sensu damnatus ille fuerit; si enim Patrum mentem latuit testes praesentes, cui tandem patuit? Iam vero in edicto, quod proposuit in tertio atrio Ecclesiae, quae Dicymbala vocatur, haec dicit. « Huiusmodi con-
« tagione Ecclesias contaminaverunt etiam hi, qui
« ante nostra tempora sacrilegi sacerdotes ecclesias
« perverse gubernarunt. Sunt autem hi Theodorus
« qui fuit Pharan Episcopus, Sergius qui fuit no-
« strae a Deo conservandae regiae urbis antistes,
« ad haec et Honorius, qui fuit antiquae Romae
« Papa, huiusmodi haereseos confirmator, qui etiam
« sui extitit oppugnator, *vel* qui etiam sibi non
« constat » id est sibi contradicit, ut alibi explicavi. Ex hoc autem testimonio omnino evincitur Honorium ut haereticum fuisse damnatum. Siquidem ipse sibi contradixit. In quo autem? Non certe in praeceptione silentii servandi, cum in utraque epistola illud inculcet; ergo sibi non constitisse in fide visus est; non igitur negligentiae, sed haeresis damnatus fuit.

Quid autem? fortasse ne tantummodo Constantinus ista affirmavit? Nonne etiam Concilia oecumenica in actis suis retulerunt condemnatum eum a Patribus Sextae Synodi, quod unam voluntatem et unam operationem professus fuerit? Revera in Concilio VII, quod fuit Nicaenum II, plurimae habentur hac de re sententiae. Et primo, Tharasius Patriarcha Cptanus in epistola ad alias Sedes Orientales, quae lecta fuit Actione VII. Synodi, haec inquit. « Subiicio anathemati Cyrum, Sergium,
« Honorium, Pirrhum, Paulum et omnes sectato-
« res eorum. Dogma quoque ipsorum ut Sodomiti-

« cam vitem, et Gomorriticam propaginem amari-
« tudinis botrum habentem odivi. » Dogma Honorii itaque erat idem ac dogma Sergii, et Monothelitarum; et idcirco illud se odisse fatetur; agnoscit igitur Sanctus Patriarcha eodem nomine in Synodo dictos episcopos fuisse damnatos. Insuper Actione III. lecta est epistola Synodica Theodori Hierosolymae Episcopi, in qua haec leguntur: « Sancta
« sexta Synodus quemadmodum alius sol emicuit...
« in qua celebrata, eos qui duas proprias volunta-
« tes et operationes in dispensatione carnis Dei
« nostri denegant, et unam voluntatem et unam
« portentose asserunt operationem Salvatoris nostri
« deitatis pariter et humanitatis, anathematizavit,
« id est, Cyrum, Sergium, Pirrhum, Petrum, Ho-
« norium. » Hic igitur in Sexta Synodo anathematizatus fuit, quod negaret duas voluntates et operationes Christi, et unam e contra affirmaret. Theorus igitur testatur Honorium ob haeresim fuisse damnatum.

Actione demum VII. eiusdem Concilii in professione fidei, quam Patres emittunt, haec alia leguntur: « Deinde quoque et duas voluntates et ope-
« rationes secundum proprietatem naturarum prae-
« dicamus in Christo, quemadmodum et Cpli VI.
« Synodus exclamavit, abiiciens Sergium. Hono-
« rium, Pirrhum, Macarium etc. » Profecto his verbis Patres Concilii Nicaeni II. emittunt professionem fidei contrariam illi, quam professum fuisse Honorium arbitrabantur, eaque de causa proiectum in Sexta Synodo affirmant; fatentur ergo damnatum non negligentiae, sed haeresis.

Quid vero Hadrianus II. in Allocutione tertia, ad Patres Concilii VIII, quae lecta fuit Actione VI.

per Petrum Diaconum et Scrinarium, atque a Patribus probata, nonne idipsum fatetur? Ita enim perstringit Photium, quod ausus fuerit S. Nicolaum I excommunicare. « Intollerabilis est ista praesumptio, di-
« lectissimi, et hanc aures praecordiorum, fateor,
« sustinere non possunt. Quis vestrum umquam tale
« quid audivit ? Romanum Pontificem de omnium
« Ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus; de eo
« vero quemquam iudicasse non legimus. Licet enim
« Honorio ab orientalibus anathema post mortem
« sit dictum, sciendum tamen est quod fuerat su-
« per haeresi accusatus, propter quam solum li-
« citum est minoribus maiorum suorum motibus
« resistendi, vel pravos sensus libere respuendi;
« quamvis nec ibi, nec patriarcharum, nec cete-
« rorum antistitum cuipiam de eo fas fuerit pro-
« ferendi sententiam, nisi eiusdem primae sedis
« Pontificis consensus praecessisset auctoritas. »

De veritate postremae sententiae inferius ero pertractaturus. Interea observo, Hadrianum absolute negare, posse R. Ponteficem ab aliquo iudicari, praeter quamquod de haeresis crimine; de facto vero Honorium de ea accusatum fuisse; nam si Patres Concilii VI. eum negligentiae damnassent, iniusta et intollerabilis praesumptio eorum sententia fuisset, cum negligentia sit personalis defectus, non haeresis; falso proinde argumento usus fuisset Hadrianus, cum Patres orientales ei respondere potuissent, quod cum ille in Synodo VI. non haeresis, sed negligentiae damnatus fuerit, poterant Romani Pontifices a minoribus iudicari etiam de aliis criminibus. Hadrianus itaque meam sententiam confirmat tum verbis expressis, cum dicat Honorium *super haeresi*

accusatum, tum ratione, ob quam unice affirmat posse Romanos antistites ab inferioribus iudicari. His confectum hoc caput videri posset; tot enim ac tanta sunt documenta, quae attuli ad hanc veritatem expediendam, ut alia addere superfluum sit iudicandum. Attamen ad maiorem rei confirmationem addo testimonium Anastasii Bibliothecarii, qui in sua Collectanea ad Ioannem Diaconum haec scribit: « Ad « manus nostras venire contigit Apologiam Ioannis « IV. Rom. Pontificis pro Honorio Papa a calumnia- « toribus impetito, quod unam Domini nostri Iesu « Christi tantum scripserit voluntatem; quae vide- « licet apologia satis hunc, ut reor, excusabilem « reddit, licet huic sexta synodus quasi haeretico « anathema dixerit, et in Dei solius iam iudicio « positum reprobationis telo perfoderit; cum hae- « reticus non ex erroris tantum deceptione, quan- « tum ex electione non recta, et contentiosa per- « tinacia generetur. »

Ut haereticum igitur damnatum Honorium a Sexta Synodo Anastasius putavit. Neque movere nos debet, quod scribat *anathema ei dictum quasi haeretico*, ita ut sensus sit, dictum illi anathema non ut haeretico proprie dicto, sed veluti illi qui non plene et perfecte talis esset; etenim praedicta Bibliothecarii verba hanc sententiam referunt: *Licet Honorio VI Synodus anathema dixerit veluti illi qui esset haereticus*. Hanc esse eius mentem patet ex verbis sequentibus, quibus dicit, haereticos proprie dictos eos esse, qui pertinaces in suo errore defuncti sunt, non autem illi qui etiamsi in erroris deceptione fuerint, tamen eum deposuerint. Negat ergo Anastasius Honorium potuisse a Patribus VI. synodi damnari, quia etiamsi er-

rore monothelitico deceptus fuerit, ut volebant Graeci, (Anastasius loquitur hypothetice) et proinde fuisset haereticus, tamen cum in errore diem non clauserit extremum, damnari non debuerat; verba illa igitur: *licet huic VI. synodus quasi haeretico anathema dixerit*, significant Patres Concilii huius eum damnasse ut verum haereticum, proindeque testimonio Anastasii perbelle meam confirmari sententiam. Sed de hoc capite satis.

CAPUT X.

DE INCORRUPTIONE ACTORUM CONCILII VI. CIRCA EA QUAE HONORII CAUSAM RESPICIUNT.

Propositam quaestionem ita demonstro. Certum est 1. in definitione fidei lecta Actione XVIII. recenseri et damnari Honorium cum ceteris Monothelitis; certum est 2. illam definitionem esse omnino incorruptam; ergo 3. certum pariter est Acta VI. synodi corrupta non esse circa ea quae illius damnationem respiciunt.

Primum patet ex lectione definitionis, et ex capite praecedenti, in quo probavi Honorium fuisse damnatum a Patribus ut haereticum, testimonio ex ipsa definitione producto; alterum proinde evincam, ex quo necessario sequitur tertium.

Huic revera definitioni interpolatum nomen Honorii non fuisse, demonstratur et ex quo illa in publico Patrum consessu lecta fuerit, a legatis subscripta, et ab ipso Imperatore de Concilii sententia eis tradita. Ita enim legimus.

« Sancta synodus dixit: petimus a Domini pote-
« testate instructa a Deo, ad maiorem orthodoxae
« fidei stabilitatem et confirmationem, ut subscriptae
« exempla definitionis relectae praesente vestra se-
« renissima potestate, edantur quinque patriarcha-
« libus sedibus una cum pia vestra subsignatione.

« Constantinus piissimus imperator dixit: quod
« etiam nunc a sancto et universali vestro concilio
« petitum est, pie conficiemus.

« Sciendum quod iuxta ea quae interlocutus est
« piissimus et Christum diligens imperator Constanti-

« nus, vel etiam pollicitus est, exempla definitionis
« cum subsignatione mansuetae eius serenitatis prae-
« buit quinque patriarchalibus sedibus hoc modo.

« Apostolicae Sedi sancti et principis Apostolo-
« rum Petri, nempe Agathoni sanctissimo Papae
« senioris Romae. etc. » (1).

Iam vero cum lecta est haec fidei definitio, pronuntiatum in ea nec ne est nomen Honorii? Si pronuntiatum; ergo damnatus cum ceteris monothelitis fuit, et consequenter acta omnia incorrupta existimanda sunt; cum enim Patres eum ut haereticum habuerint, sequitur anathema ei dixisse iis omnibus locis, in quibus ceteri monothelitae anathematizati sunt; si praetermissum, quomodo factum est ut hanc intrusionem illico, vel deinceps legati non animadverterent, quibus Graecorum fraudes optime perspectae erant ex iis quae in Concilio ipso contigerant? Siquidem nedum exemplari definitionis in Concilio latae subscripsere, sed etiam aliis quinque ad sedes patriarchales transmissis. Deinde ipse Imperator huic definitionis exemplari subscripsit, atque legatis tradidit; explicandum igitur quoque est quomodo nec ipse illam intrusionem animadverterit. Siquidem illa contingere potuit eo tantummodo temporis intervallo, quo exemplaria Patriarchalibus sedibus tradenda conficerentur, cum postea seu episcopis, seu

(1) Obiici contra me non potest, quod supponam id quod in quaestione versatur, et quod antea probare debeam incorruptionem ipsius definitionis fidei; nam demonstrationem conficio non ex integritate ipsius definitionis, sed ex aliis capitibus omnino extrinsecis; de cetero, acta corrupta traducuntur circa ea quae respiciunt causam et damnationem Honorii, non autem in reliquis; cum autem dum legimus Actione XVIII. tradita fuisse legatis definitionis exemplaria nulla eius mentio occurrat, haec actorum pars ab ipsis adversariis incorrupta omnino est iudicanda.

legatis eorum ab ipso Imperatore tradita fuerint, ut ex citato testimonio patet. At quis tam audax esse potuit, qui corruperit definitionem ipsam fidei antequam subscriberetur ab Imperatore? nonne timor ipse quod eam vel imperator, vel legati Romanae Sedis iterum lecturi essent, deterrere quemquam a fraude illa debuit? Antequam igitur ab Imperatore subscriberetur, corrupta non est; impossibile vero fuit ut corrumperetur post traditum legatis exemplar; integram igitur hi latam difinitionem Romam detulerunt.

Sed ulterius puto Graecos tantum nefas non fuisse molitos, etsi voluissent; non enim sperare poterant celatum iri crimen, cum definitio illa a Romano Pontefice legenda esset, qui et a legatis certior fieri oportebat de gestis in Concilio. Quid ergo hi dicturi fuissent? quid Leo II. Imperatori scripturus cum in definitione videret damnatum Honorium quem damnatum non fuisse a legatis acceperat? qua ira non excanduisset ipse Imperator, cum illam turpissimam fraudem animadverteret, quam Graeci in ipsa fidei definitione admiserant a se subscripta? Dicantur ergo hi in corrumpendis quibuslibet documentis audacissimi, ut profecto plerumque, ne dicam semper, fuerunt; dicantur in struendis fraudibus sagacissimi ; at ne adeo stupidi dicantur , qui vellent fraudem moliri, quae latere omnino non poterat ; et ex qua dedecus, ignominiam , Romani Pontificis et imperatoris ipsius obiurgationes referre poterant , nil aliud praeterea. Hinc iure ego quaero ab iis qui acta concilii corrupta traducunt; quomodo factum est ut nullus de admissa fraude questus sit ? et nec ipsi legati, nec ipse Romanus Pontifex Graecorum malitiam redarguerint? Non, inquam,

ipse Romanus Pontifex, cuius apostolica sedes maximo dedecore per illam damnationem afficiebatur? Profecto si Ioannes IV. calumniatam Honorii fidem summa vi vindicavit, quid non facturus Leo II. fuisset, dum eum videret cum ceteris Monothelitis damnatum, qui damnatus in Concilio non fuerat? Cum itaque definitionis exemplar traditum legatis sit prout in Synodo lectum fuerat, proindeque omnino incorruptum, in eaque damnetur cum reliquis Honorius, non possunt Acta Concilii VI. corrupta defendi; si enim in Concilio damnatus non est, nec in definitione fidei; at impossibile fuit ut in ea eius nomen intruderetur; ergo nec in Actis intrusum defendere licet.

Ulterius epistolam Synodicam legati Romam detulere; haec enim de more mittebatur a Patribus; credibile enim est neque hanc ad Romanum Pontificem detulisse? Atqui in ea expresse dicitur damnatus in Concilio Honorius. Quando igitur ibi nomen eius intrusum est? Antequam legeretur? At nedum ipsi legati, sed et universi patres mirati impudentiam fuissent. Post quam lecta fuit? At legasi ei subscripserunt, et alii 53 episcopi. Antequam eis traderetur? Et quomodo vel Constantinopoli, vel Romae admissam fraudem non agnoverunt? Et si agnoverunt, quomodo tacuerunt ipsi, tacuit Romanae sedis episcopus, tacuit universa Occidentalis Ecclesia? Ut ingenue dicam; aut probanda est corruptio definitionis fidei et epistolae Synodicae ad Romanum Pontificem, aut dicenda sunt Acta Concilii VI. omnino incorrupta. At primum quo argumento probabitur? Si dicamus haec documenta corrupta antequam Romam deferrentur, quomodo Leo. II. confirmare potuit Ho-

norii damnationem, etsi sensu diverso quo lata ab Orientalibus est? Si postquam Romam delata sunt, eadem recurrit difficultas. Qui deinceps Romae haec documenta corruperunt? Monothelitae? Numquam ibi fuerunt. Catholici? repugnat, et est contra suppositum. Ulterius quo tempore haec fraus admissa est? Dum illi viverent qui Conciliio VI. interfuerant? Explicandum est quomodo Leo II. Honorium damnaverit. Post mortem illorum? eadem recurrit difficultas. Dicemus ne tum definitionis tum epistolae synodicae exemplaria, quae Romae legati secum attulerant, periisse, atque quae nunc habemus e Grecorum tabulariis desumpta? Esto; sed quomodo Leo II damnavit Honorium si damnatus in VI. synodo non fuit? Dicemus ne et huius epistolas vel suppositas vel corruptas? At a quibus suppositae vel corruptae sunt? A latinis? repugnat, et est contra hypothesim. A Graecis? non damnassent Honorium negligentiae, sed haeresis.

Fortasse tamen plurimi ex hac ipsa synodica ad Agathonem, quae tamen tradita Leoni II fuit, cum ille interea ex hac vita migraverit, probare conabuntur corruptionem Actorum Concilii VI, cum in ea damnatus dicatur Honorius de ipsius Agathonis sententia: « Anathematibus interfecimus ex sententia « per sacras vestras literas de iis prius lata Theo« dorum episcopum Pharan, Sergium, Honorium « etc. »; exploratum autem sit hunc non damnatum, sed defensum ab Agathone fuisse. Cum autem adeo impudentes dici Graeci nequeant, qui ipsi Romano Episcopo mentiri voluerint; concludunt ab interpolatore quodam ibi nomen Honorii adiectum, proindeque non damnatum in VI. Synodo, eo quod

in Synodicis repeti solerent nomina eorum qui in Actis fuerant damnati.

Verum his non moveor; primo quidem, quia etiamsi illius nomen in Synodica praetermisissent, non sequeretur praetermissum etiam in actis Synodi; patres enim Graeci ita agere potuissent ex reverentia in R. Pontificem; quod exemplo ipsius Constantini Pogonati confirmare possum, qui etiamsi in edicto, quo omnibus praecipiebat acceptationem Synodi VI, Honorium damnatum a Concilio scripserit, id tamen in epistolis ad S. Leonem II, et ad Romanum Concilium praetermisit (1) Sed hoc praetermisso, optime Graecorum loquendi ratio cum ipsorum opinione, quod scilicet S. Agatho in suis epistolis etiam Honorium damnaverit, conciliatur, quin nos uti mendacissimos illos traducamus. Actione siquidem XIII cum gloriosissimi iudices peterent, ut iterum legerentur scripta Honorii, Sergii, Cyri etc. *ut inamplius manifestaretur secta earumdem personarum*; responderunt Patres id superfluum esse, et quod ipsorum haeresis cunctis pateret, et quod s. Agatho proiiciendos esse scripserit omnes qui similia cum Sergio sensissent (2).

(1) Reprehendendus non essem si dicerem, Imperatorem praetermisisse Honorii nomen hisce in epistolis., quod eum invidia Orientalium immerito damnatum deinceps noverit.

(2) Ex hoc testimonio suspicari licet, legatos R. Pontificis vel apud Imperatorem, vel apud Concilii iudices pro Honorio non parum adlaborasse; ad quid enim illa iudicum praeceptio ut iterum scripta eius omnino relegerentur? Ad quid illa Patrum responsio quod s. Agatho eos omnes damnandos esse dixerit, qui Sergio assensi fuerant? Non enim hisce aut Cyrum, aut reliquos, quorum Monothelitica sententia neminem latebat, indigitare voluerunt, sed Honorium; siquidem paullo ante de eo dixerant, secutum in omnibus mentem Sergii fuisse. Equidem et aliorum scripta relegi voluerunt; at fortasse ne viderentur legatorum partibus studere.

De hoc vero et Agatho per suam suggestionem... declaravit eos qui similia cum Sergio senserunt abiiciendos esse. *Unde etiam hos cum propriis eorum scriptis praefatus sanctissimus Papa proiecit.* Ignorantia igitur, vel summa malitia ducti, ita Graeci argumentati sunt: Agatho proiecit eos qui Sergio assensi sunt; at Honorius Sergio assensus est; ergo et hunc Agatho proiecit; atque hinc scribere veriti non sunt: *anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras literas de iis prius lata et Honorium.*

Post haec praetermitto argumenta illa plurima, quae deduci possent ex antiquissimorum scriptorum testimonio, Hadriani II. dico, Anastasii Bibliothecarii, sancti Bedae, (vulgo venerabilis) Hincmari Archiepiscopi Rhemensis, Cedreni et Mariani Scoti; siquidem et hi omnes fatentur Honorium in VI. Synodo damnatum; quorum auctoritas, Hadriani II. praesertim et Anastasii Bibliothecarii rem dirimit, cum certe prae manibus habuerint saltem exemplaria epistolae Synodicae et definitionis fidei. Praetermitto pariter testimonium Agathonis Diaconi et Concilii illius notarii, qui in Peroratione sua, quam edidit Combefisius in Auctario Bibliothecae Patrum, affirmat, « se omnes Tomos praefatae Synodi mundo codice et propria manu ecclesiasticis literis « consignasse; quin etiam exemplaria definitionis « tradita quinque patriarchalibus Sedibus. » Hic vero traducendus non est ut corruptor Actorum; primo quidem quia nullo id argumento probatur; secundo, quia cum epistola Synodica ad R. Pontificem, et definitio fidei Honorii nomine carerent, fraus admissa illico detecta fuisset; tertio quia semper inexpugnabile manet argumentum illud, quod

nempe Leo II. damnationem illam confirmaverit in litera sua ad Pogonatum pro confirmatione VI. Synodi, excerptis ex epistola Synodica quibusdam fere ad verbum sententiis; cum enim Actorum exemplar Legatis traditum non legatur; (et hoc concedo si placet) unde novit ipse praedecessoris sui damnationem nisi ex documentis, quae Legati secum Romam attulerant? Fingamus tamen Agathonem diaconum acta corrupisse; at quando? Antequam Leo confirmaret sextam Synodum, vel postea? Si ante; agnovit nec ne hanc corruptionem? Si cognovit, quare de fraude questus non est? immo quare fraudi assensus Honorium damnavit? ni corruptionem cognoverit, eadem recurrit difficultas. Si post confirmationem sextae Synodi fraus illa ab Agathone admissa est, quomodo ante illam, anathema Leo antecessori suo dixit? Non dico an ipso vivente, vel post eius mortem acta corrupta sint; semper enim eaedem difficultates recurrunt.

Praetermitto etiam argumentum, quod desumi posset ex repetita eiusmodi damnatione in Conciliis VII. et VIII. Quomodo enim Legati Romanae Sedis tacuissent hisce in Conciliis, dum audirent damnari cum Monothelitis et Honorium, quem damnatum in Concilio VI., ex suppositione, vel nesciebant, vel omnino non damnatum noverant? Tacuisset ne in VIII. Synodo Marinus diaconus ecclesiasticae fortitudinis columna inexpugnabilis?

Praetereo etiam difficultatem illam maximam corrumpendi acta. Siquidem non agebatur de intrudendo Honorii nomine hoc vel illo actorum loco, sed de confingendis pluribus partibus actionum praesertim XII. et XIII. Quidquid enim dicatur; de eo cer-

te actum est in Concilio, cum a Graecis ut haereticus haberetur; atque hinc eius etiam epistolae certe lectae sunt, cum ex iis fides, quam professus fuerat, esset dignoscenda. Quodnam igitur iudicium latum est? Innocens ne fuit declaratus et orthodoxus? Unde ergo damnatio eius irrepsit in epistola Synodica ad Agathonem cui, ut dixi, subscripsere 56 Patres, et in definitione fidei cui omnes subscripserunt? Unde haec damnatio in universo Oriente et Occidente conclamata est? Haereticus declaratus fuit? ergo et condemnatus. Haec, inquam, omnino praetereo, cum ex iis quae supra disputavi satis patere putem, incorruptionem Actorum VI. Synodi nullo posse argumento expugnari; atque proinde oleum et operam perdere eos, qui eiusmodi laborem suscipiunt.

Doctissimus Baronius tamen affirmat Acta Synodi VI. corrupta fuisse a Theodoro Patriarcha Cptano, qui cum ob haeresim monotheliticam antea Episcopatu deiectus fuerit, postea, emissa fidei catholicae professione, eandem receperit. Ita enim inquit ad an. 681 « Hunc igitur restitutum in thronum, summa « rerum potitum, Synodi prototypum nactum, nomen « suum e damnatorum numero delevisse, quod in- « ter eos non legatur, affirmare necesse est, neminem « qui haec quae sunt dicta consideret, inficias iturum puto; cum igitur detectum tibi ostenderi- « mus impostorem, habes plane cui inventam tri- « buas imposturam; ut nullatenus dubites, quod « cuius fuit ex Synodalibus actis sui damnationem « auferre, eiusdem quoque fuit alia pro arbitrio ad- « dere; ac proinde qui e damnatorum numero suum

« subduxit nomen, idem inter damnatos adeo in« concinne apposuerit nomen Honorii, ob odium « quod conceperat adversus Apostolicam Sedem» Ut huic igitur difficultati respondeam, primo haec quae dicit vir doctissimus nullo munit argumento; deinde tota eius ratiocinatio ad hoc reducitur: Theodorus certe abstulit ex Actis nomen suum; ergo loco suo posuit nomen Honorii. Ea quae sibi sunt visa e Synodo subtraxit, et alia igitur ex animi sententia addidit; *quorum si primum*, inquit, *quam apertissime aperuero, puto de secundo nullus tibi reliquus erit dubitandi locus.*

At profecto ista non sequuntur. Qua enim consequentia deduci potest apposuisse quemquam alienum nomen in codice aliquo, ex quo suum ex eo abraserit, quod ibi damnatum reperiretur? Quin imo, etiamsi concedere vellem a Theodoro abrasum ex actis nomen suum, illud Honorii non substituisse ultro fateri cogerer. Siquidem 1. ipse postquam episcopatum recepit, plane catholicus inventus est; quare ergo tantum scelus molitum dicemus, qui vellet ita acta sextae Synodi corrumpere ut proprio nomen substitueret R. Pontificis? 2. Si fraudem admisit, eo certe animo, ut neminem laederet, ne laesi insurgerent, conquererentur, ipsumque accusarent. 3. Si ipse acta corrupit, certe post quam sedem recepit. At fidei definitio, et epistola Synodica iam Romam delatae fuerant; quomodo igitur nomen Honorii in his monumentis reperitur? Corruptio insuper illa actorum per Theodorum vel patuit illico, vel latuit; si patuit, quomodo nemo fraudem redarguit? Si latuit, quo documento innixus s. Leo II. damnationem con-

firmavit? Profecto quisque videt argumentum Baronii subiacere omnibus difficultatibus superius expositis; nullimode proinde allatae a me demonstrationi nocere (1).

(1) Aliae vero difficultates ab eminentissimo viro allatae huius operis decursu enodabuntur,

CAPUT XII.

ORIENTALES IN CONCILIO VI. DUM HONORII EPISTOLAS UT HAERETICAS CONDEMNAVERE, ERRARUNT IN FACTO DOGMATICO ET QUARE

Haec propositio necessario ex disputatis consequitur. Si enim Honorii ad Sergium Epistolae catholicam doctrinam praeferunt, nihilque contineant, quod Monothelismum sapiat, multa insuper quae refutent; dum Patres Orientales in Concilio VI. eas ut haereticas abiecerunt, errasse in facto dogmatico necessario dicendi sunt.

Verum sexcentos audio contra clamantes. Ergo ne Concilium oecumenicum in Spiritu Sancto legitime congregatum, a Romanis Pontificibus confirmatum, et ab universa Ecclesia receptum infallibilitate in diiudicandis factis dogmaticis destituitur? Ut itaque respondeam; a principio dico me non impugnare infallibilitatem Concilii VI. sed defendere iis in locis, quibus Patres Orientales Honorium damnaverunt, et eius epistolas abiecere, concilium neque oecumenicum fuisse, neque legitimum, neque a R. Pontefice confirmatum; sed repraesentasse tantummodo Ecclesiam Orientalem, quae certe infallibilitate non gaudet; minime vero universalem Ecclesiam. Qua de causa dico 2. me de fide tenere, Concilia oecumenica in Spiritu Sancto legitime congregata infallibilia omnino esse in decernendis, iudicandisque quaestionibus fidei et morum.

At 3. certum pariter esse profiteor, nullum concilium dici posse in Spiritu Sancto legitime congre-

gatum, vel aliquid definire cum eius adsistentia, nisi patres coniungantur cum Ecclesiae capite Romano Pontifice non quatenus infallibilis est (hanc enim veritatem in praesentiarum omitto ne supponere videar quod in quaestione versatur, et quod adhuc definiri de fide debet); sed quatenus est Ecclesiae caput, unitatis et fidei catholicae centrum, omnium christianorum pater atque magister. Defendo scilicet, nullimode episcopos in Conciliis oecumenicis congregatos infallibilitatis praerogativa muniri, si aliquid definiant, statuantque contradicente Romano Pontifice et repugnante; hoc enim in casu, dico, ipsos adssistentia Spiritus Sancti destitui, quam Christus utique promisit Ecclesiae capiti suo coniunctae, non vero separatae et divulsae.

Ex qua sententia non sequitur, ut quisque videt, Concilia oecumenica errare simpliciter et absolute in fide posse, sed tantummodo si aliquid decernant, cui contradicat aperte Romanus Pontifex caput et primas universae ecclesiae, sine quo nullum concilium legitimum, et oecumenicum vocari potest aut debet, ut patet.

Haec porro sententia, etsi apud catholicos omnes, et quoscumque, qui Ecclesiae constitutionem rite intelligant, certissima habeatur, et proinde probatione non indigeat; tamen maioris perspicuitatis gratia, eam breviter exponam.

Ecclesiam a Christo comparatam aedificio esse, cuius fundamentum sit Petrus, et proinde Romani Pontifices eius in Episcopatu et Primatu successores, evidenter deducitur ex Matth. XVI. 18., quo Christus ita Petrum alloquitur: « Tu es Petrus, et « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, « et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Fundamentum igitur Ecclesiae est Petrus, quia Ecclesiam super eum Christus fundavit ; sicut igitur domus nunquam a fundamento separari potest, quin corruat; ita et a Petro nunquam separari potest Ecclesia , quin ea soliditate destituatur, quam habet, quod super illum fundata a Christo ipso sit ; proindeque variarum Ecclesiarum Episcopi a capite suo seiuncti non possunt iis gaudere praerogativis, quas ipsis Dominus noster promisit tantummodo una cum capite suo consideratis, non vero divisis.

Rursus ad eumdem Petrum Luc. XXII. 32. haec dixit Christus. « Simon Simon. Ecce satanas expe« tivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem « rogavi pro te ut non deficiat fides tua , et tu « aliquando conversus confirma fratres tuos. » His verbis comparat Ecclesiam suam familiae cuidam , in qua Petrus sit frater primogenitus, cui proinde a patre iura omnia habuerit ceteris fratribus praesidendi , eosque dirigendi, et corrigendi. Quis autem negare poterit, necessarium omnino esse fratribus, seu filiis familiae sive cum patre, sive cum eo qui patris locum et potestatem obtinet , si velint ad familiam pertinere, et paternis frui bonis, omnino coniungi, ne si separentur, vel haereditate, vel familiae privilegiis bonisque priventur? Cum itaque Episcopi fratres sint Petri cui a Christo cura Ecclesiae commissa fuit, et constitutus primogenitus; non poterunt bonorum Ecclesiae participes esse, si eius vocem et monita sequi recusent vel spernant. Siquidem recusant confirmari a Petro cui tantummodo haec cura commissa a Redemptore fuit.

Demum cum Christus Ioan. XXI. 15. 17. ita Petrum allocutus est: *Pasce agnos meas, pasce oves meas*, Ecclesiam suam comparavit gregi, qui sine

pastore neque concipi potest, cui de cetero Petrum ipsum pastorem praefecit. Qui autem huius gregis oves sunt, nisi Episcopi? Episcopi igitur sine Petro considerari non possunt, quia et ipsi sunt grex relate ad Petrum, qui a Christo gregi suo pastor unicus praefectus est. Episcopi quapropter, ut gregem Christi efforment, semper debent Petro coniungi, eius vocem audire et sequi, ne si spernant, non amplius gregem unum constituant, quem Petrus moderari debeat, et proinde eius officiis et cura priventur.

Ex conceptu itaque domus, familiae, et gregis optime patet, episcopos non posse a Romano Pontifice unquam separari; proindeque sive dispersos sive in conciliis congregatos semper cum Petro et sub Petro esse debere.

Haec quidem ex scriptura breviter.

Quae autem argumenta ex Historia peti non possunt ad sententiam hanc confirmandam? Nonne in Conciliis omnibus oecumenicis fides semper definita fuit iuxta Romanae Ecclesiae traditionem? Nonne Concilia ipsa, quibus Legati Romanae Sedis non praefuere, vel piaculum putarunt a sententia Romani episcopi recedere, vel nonnisi eius confirmatione et approbatione mediante, ab Ecclesia universa recepta sunt? (1) Nonne nonnullorum Con-

(1 Haec ego contendo de ipso Concilio Cptano I. in quo affirmo, fidem definitam fuisse ad normam expositionis fidei, quam Damasus ad Paulinum Antiochenum Episcopum miserat, et Patres ad Concilium a Theodosio convocatos fuisse ut illam fidem probarent et reciperent. Sed hac de re appositam dissertationem, si Deo placuerit, edam.

Idipsum contendo de ipso Concilio V. cuius Patres a Vigilii sententia in damnanda doctrina trium capitulorum non recesserunt; damnationem autem personalem Theodorithi et Ibae

ciliorum pars quidem ab Ecclesia recepta fuit, quod a Romanis Pontificibus ex parte confirmata fuerint; pars vero reiecta, quod ab ipso ex ea parte fuerint improbata? Ecclesia igitur putavit nullum Concilium legitimum esse posse, si Romanorum Pontificum decretis contradicat et adversetur.

Huius autem rei ratio evidentissima est. Ecclesia enim ad instar humani corporis constituta est, quod sine capite numquam considerari potest; quia sine capite corpus non est; quomodo ergo affirmare quis poterit, posse Ecclesiarum variarum Episcopos in Conciliis congregatos a Romano Pontifice dissidere, cum ipse ipsorum sit caput et sine quo proinde corpus Ecclesiae constituere non possunt? Apposite S. Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiae. « Exordium ab unitate proficiscitur, et pri-« matus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et « Cathedra una monstretur » Et infra « Episcopa-« tus unus est, cuius a singulis in solidum pars te-« netur. Ecclesia una est, quae in multitudinem la-« tius incremento foecunditatis extenditur, quomodo « solis multi radii, sed lumen unum; et rami ar-« boris multi, sed robur unum tenaci radice fun-« datum; et cum de fonte uno rivi plurimi de-« fluunt, numerositas licet diffusa videatur exun-« dantis copiae largitate, unitas tamen servatur in « origine. Avelle radium solis a corpore, divisio-« nem lucis unitas non capit. Ab arbore frange « ramum, fructus germinare non poterit. A fonte

praesertim, etsi latam contra Vigilii mentem, quis unquam approbasset, nisi Synodum illam confirmasset Vigilius? Et quis Concilium V. sine eiusdem confirmatione oecumenicum, et non conciliabulum putasset? Haec noverant ipsius Concilii patres, ut ex actis luculenter demonstrare possem.

« praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Eccle-
« sia Domini luce perfusa per orbem totum radios
« suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubi-
« que diffunditur, nec unitas corporis separatur.
« Ramos suos in universam terram copia uberta-
« tis extendit, profluentes largiter rivos latius ex-
« pandit, unum tamen caput est, et origo una, et
« una mater foecunditatis successibus copiosa » Sed unde hanc unitatem repetit Cyprianus? Ex primatu Petri: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur.* Quam quidem sententiam sexcenties sanctissimus Christi Martyr repetit, sed praecipue Ep. 40, qua inquit: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum, Domini voce fundata.*

Quis autem inficiari poterit, neutiquam Ecclesiam unum cum Romano Pontifice corpus constituere, si contingat ab eo in sententia fidei dissidere, si eo repugnante et contradicente, Episcopi in Conciliis congregati aliquid definiant, statuantque? Alioquin sequeretur posse Ecclesiam sine capite consistere, et proinde esse legitima concilia Romano Pontifice contradicente congregata et celebrata, eiusdem insuper decreta sperni, et in irritum deduci impune posse. Ad quid igitur Christus caput unum in Ecclesia constituit? Ad quid Petro Primatum contulit?

Quae quidem pro Conciliis omnibus valent; sed multo magis pro Concilio VI. In eo enim Ecclesia Orientalis repraesentabatur utique a suis Episcopis; Ecclesia autem Occidentalis tantummodo a legatis Agathonis, et Romani Concilii, qui nomine et auctoritate eorum agebant. Si igitur probavero tum Agathonem, tum Romanum Concilium, quod repraesentabat Ecclesiam Occidentalem, repugnasse

et contradixisse Honorii damnationi, de eiusque epistolis contrarium tulisse iudicium illi, quod de iisdem Patres Concilii VI. tulerunt, iam haec duo probata pariter erunt; et Concilium VI. dum Honorium damnavit, eiusque epistolas haereticas iudicavit, non repraesentasse universam Ecclesiam; et proinde fuisse destitutum infallibilitate.

Atqui (et haec est minor argumenti nostri principalis, quae facto innititur). Atqui Patres Concilii VI. dum Honorium anathemate confixere, dum eius epistolas ut plane haereticas igni tradendas esse iudicaverunt, egerunt contra manifestam Romanorum Pontificum mentem, et ipsius S. Agathonis, qui illas iam iudicaverant esse ab omni immunes errore; egerunt contra mentem Concilii Occidentalis a quo idem iudicium latum fuerat. Ergo dum Concilium VI. damnavit Honorium, neque oecumenicum, neque legitimum erat; destituebatur proinde adsistentia Spiritus Sancti, sine qua nullum Concilium infallibile esse potest.

Revera Ioannes IV. in Apologia, quam pro Honorio dedit ad Constantinum Heraclii filium, aperte affirmaverat, universam Occidentalem Ecclesiam scandalum sumpsisse de Pirrhi audacia, quod abuteretur Honorii nomine et auctoritate ad monothelismum defendendum: « Omnes Occidentales partes « scandalizatae turbantur, fratre nostro Pirrho Pa- « triarcha per literas suas huc atque illuc transmis- « sas, nova quaedam et praeter fidei regulam prae- « dicante, et ad proprium sensum, quasi sanctae « memoriae Honorium Papam attrahere festinante, « quod a mente catholici patris erat penitus alie- « num...Praefatus Papa rescripsit ei, (Sergio) quia « Salvator Noster sicut esset monadicus unus, ita

« et valde mirabiliter super omne genus humanum « conceptus et natus esset. De sancta quoque ipsius « incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor « noster sicut esset Deus perfectus, ita esset et ho- « mo perfectus...Scientes quod nullum in eo, cum « nasceretur et conversaretur esset peccatum, de- « center dicimus et veraciter confitemur unam vo- « luntatem in sanctae ipsius dispensationis huma- « nitate, et non duas contrarias mentis et carnis « praedicamus. Secundum hunc igitur modum iam « dictus decessor noster praenominato Sergio Pa- « triarchae percontanti scripsisse dignoscitur. Quia « in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, « id est, in membris ipsius, penitus non consistunt, « quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione pri- « mi hominis ».

Declaraverat itaque Ioannes IV. ad Imperatorem Constantinum, et per eum ad Orientales omnes Episcopos, Honorium numquam Monothelismo in suis epistolis favisse; sed e contra in Christo perfectam admisisse humanitatem, proindeque humanitatem libere per propriam voluntatem agentem; de qua voluntate locutum fuisse affirmat, cum in prima ad Sergium epistola scripsit: *unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi.* Haec autem Ioannem iuxta rei veritatem scripsisse, patet ex iis quae Cap. VII. huius dissertationis de orthodoxia epistolarum Honorii dicta sunt. Rursus S. Agatho in sua ad Imperatores epistola, quae a Patribus Synodi VI. probata est et suscepta, nonne disertis verbis asseruit, Romanos Pontifices praedecessores suos semper Monothelitico errori obstitisse, Orientalesque et praecipue Episcopos Constantinopolitanos monuisse modis omnibus, ut a pravi dogmatis errore de-

sisterent? et ne quis putaret se de Honorio contrarium sentire, nonne et hunc dicit monotheliticae pravitati adversatum circa eam silentium praecipiendo, numquam autem aut unam voluntatem aut unam docendo operationem? *Apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores*, inquit Agatho, *dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Cptanae Ecclesiae praesules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore, saltem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiae facerent unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino Nostro Iesu Christo.*

Et ut Patres Concilii sexti apprime cognoscerent, quo sensu haec de Honorio scriberet, dimidio fere epistolae suae infallibilitatem tum de iure, tum de facto Romanae Sedis defendit. Ex quo Patres Cptani concludere necessario debebant, Agathonem quodcumque de Honorio eiusque epistolis sive iudicium sive damnationem interdixisse; quod tum a Romana Sede, tum a Concilio Occidentali ante celebrationem Synodi VI. congregato, iam immunes ab haeretica labe fuerint illius epistolae iudicatae; sin minus enim quo pacto Romanae Sedis inerrantiam obiicere Orientalibus potuisset? Quomodo ergo poterant Patres Concilii VI. Agathonis, et Romanae Synodi spreto iudicio, spreta totius Occidentalis Ecclesiae sententia, citatas epistolas ut plane haereticas igni tradere, earumque auctorem ut haereticum Monothelitam anathematibus confodere? Nonne eiusmodi iudicio Romanorum Pontificum, et totius occidentalis Ecclesiae sententiae adversabantur? Quanam igitur ratione

defendi potest, Concilium VI. dum Honorium damnabat, repraesentasse universam Christi Ecclesiam, et consequenter oecumenicum fuisse, et infallibilis auctoritatis? Si Agatho, si universi Occidentales Episcopi Concilio interfuissent, et proposito epistolarum illarum examine, eas plane catholico sensu esse accipiendas probassent, inique illas condemnari dixissent, et repugnantibus Graecis, de Synodo exiissent Occidentales, damnassent vero Orientales tantummodo Honorium, eiusque epistolas; quaero: posset ne dici sententia illa lata a Concilio oecumenico, et cum Spiritus Sancti adsistentia? Profecto dici non posset. Ergo a pari cum Graecis manifesta esset tum intentio Romanae Sedis, tum totius Ecclesiae Occidentalis circa illud negotium, (1)

(1) Iudicium Occidentalis Synodi idem fuisse ac Agathonis iudicium patet 1. ex quo et epistola haec Agathonis nomine scripta fuerit: *Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum universis Synodis subiacentibus concilio Apostolicae Sedis*. 2. quia de fide Romanorum Pontificum haec dicunt: « Credimus autem quia quod « paucis raroque concessum est, a Deo coronato vestro imperio « divinitus concedatur, ut per ipsum catholicae atque apostolicae « verae nostrae fidei splendidissimum in omnium mentibus emi- « cet lumen; quod ex veri luminis fonte tanquam de radio vi- « vifici fulgoris, per ministros beatos Petrum et Paulum Apo- « stolorum Principes, eorumque discipulos et apostolicos succes- « sores, gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione « servatum est, nulla haeretici erroris tetra caligine tenebratum, « nec falsitatis nebulis confoedatum, nec intermixtis haereticis « pravitatibus velut caliginosis nebulis perumbratum, immune « atque sincerum, et suis radiis perlustratum, piissimis conati- « bus conservare cupit vestrum a Deo coronatum fastigium. In « hoc enim tam apostolicae Sedis, quamque nostri exigui famu- « latus praedecessores usque adhuc non sine periculis desuda- « runt, nunc decretali commonitione cum apostolicis Pontificibus « consulentes, nunc Synodali definitione, quae veritatis regula « continebat omnibus innotescentes; et terminos quos transgredi « nefas est, usque ad animae ipsius exitum constanter defen- « dentes, non seducti blanditiis, non periculis territi etc. »

non poterant eorum spernere iudicium, et praecipitem ferre sententiam. Protulerunt tamen, repugnante universa Occidentali Ecclesia, contradicente ipso Ecclesiae capite, magistro, et doctore. Ergo sententia contra Honorium lata non prodiit a Concilio Oecumenico sed a Patribus Orientalibus, qui ad summum repraesentabant Ecclesiam Orientalem, cui soli, et contradicenti praesertim supremo fidei iudici, nunquam Christus adsistentiam suam promisit. Atque hinc patet, quare ego dixerim, Orientales episcopos in damnandis Honorio et epistolis eius uti haereticis, erraverint in facto dogmatico.

Quod ut confirmem aliquo argumento ex actis ipsis Concilii VI desumpto; Actione XIII. lecta est altera Honorii Epistola ad Sergium, una cum aliis scriptis Sergii, Pirrhi, Pauli, et Petri Monotheliticae haeresis principum, qui iis in libellis haereticam pravitatem certe proferebant. Dum autem illa legeretur Epistola lectae sunt pariter hae sententiae quae in ea continentur. « Ceterum quantum ad do-
« gma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel
« praedicare debemus... non unam vel duas ope-
« rationes in mediatore Dei et hominum definire;
« sed utrasque naturas in uno Christo unitate natu-
« rali copulatas, cum alterius communione operantes
« atque operatrices confiteri debemus: et divinam
« quidem quae Dei sunt operantem, et humanam
« quae carnis sunt exequentem.

Et paullo post: « Et pro duabus operationibus,
« ablato geminae operationis vocabulo, nos oportet
« ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et
« carnis assumptae in una persona unigeniti Dei Pa-
« tris inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter
« nobiscum praedicare propria operantes » Quae est professio fidei a S. Leone Magno in sua ad

Flavianum Epistola edita, et etiam explicatior, cum sententia S. Leonis destituatur vocabulo *operatrices* quod omnino haeresim Monotheliticam conterit. Et tamen nullo instituto discrimine inter catholicam et monotheliticam doctrinam, nullo praemisso examine, nullaque attentione adhibita, dictum est ab Orientalibus: « Cognitionem accipientes prolatorum « nobis a Georgio Dei amabili diacono, et charto « phylace huius sanctae magnae Dei Ecclesiae libro« rum atque chartarum, sive aliorum opusculorum, « comperimus in unam eamdemque impietatem con« currere. Et praevidimus prophana et animae per« niciosa, continuo ob perfectum exterminium « igne concremari.

At latum iudicium potest ne unquam dici iustum? potest ne affirmari prodiisse a Patribus, quibus Spiritus Sancti lumen affulgeret? Doctrina catholica cum haeretica confunditur, S. Leo cum Sergio, Cyro, et Paulo igne concrematur; et haec, adsistente Spiritu Sancto, prolata esse a Patribus orientalibus dicemus? Absit. (1) Equidem quis excipere

(1) Saeculo Ecclesiae IX putatum fuisse a pluribus, damnationem contra Honorium latam ab Orientalibus non iustitiae et veritatis amore, sed livore et invidia, eruimus ex Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, qui in libro de non trina Deitate haec scribit: « Nec sacra' concilia pepercerunt episcopis nominatissimarum Sedium, videlicet Alexandrinae, Antiochenae, Hierosolymitanae, Cptanae, Nicomediae. Insuper et Honorium magnae Romae Papam, quia contra fidem sensisse, et prave sentientibus consensisse detectus, et evidentissime comprobatus est, sicut in Sexta Synodo invenitur, etiam post mortem anathematizaverunt, in hoc saeculo manifestata culpa, iusto Dei concordante iudicio, quod iam egerat in occulto. Nam si idem Honorius hoc in praesenti saeculo non meruisset, et cum ipso merito non exisset, sibi potius quam illi nocerent, maledictum iaculantes, non iudicio iustitiae, sed livore vel temeritate. » Quorsum vero spectare

posset, loco obiecto, Patres profanam et animae perniciosam vocasse Honorii Epistolam, quod silentium indiceret circa duas Christi operationes, non quod falsum dogma contineret; cum enim postea legeretur Pirrhi Epistola ad Ioannem IV. Rom. Pontificem, relata sunt in Actis de illa tantummodo quae silentium circa operationes Christi respiciebant, ceteris omnibus praetermissis. At hanc exceptionem nullius esse ponderis patet 1, quod sententia a Patribus lata respiciat ea omnia, quae lecta sunt, et praecipue illa, quae relata sunt in Actis; in his autem relata sunt ea etiam quae supra de Honorii epistola recitavi 2. observo, silentium ab Honorio indictum non fuisse absolutum ut silentium a Pirrho commendatum, sed silentio duarum operationum substituisse professionem fidei Chalcedonsis circa duas Christi naturas propria operantes atque operatrices, quibus monothelismum, et ipsum oeconomicum silentium in irritum deducebatur; qui enim, ut iam dixi, profiteri debebat duas Christi naturas propria operantes atque operatrices, quid aliud profitebatur nisi duas voluntates, et duas Christi operationes? 3. addo, iudicium latum de secunda Honorii Epistola conforme illi esse, quod latum est de prima. At Honorium ob eam praecipue epistolam fuisse haereticum damnatum, quod in ea docuisse putave-

possunt haec postrema verba, nisi quod plurimi dicerent immerito fuisse Honorium in VI. Synodo damnatum? Ratio vero ab Hincmaro adducta ut evincat iustam illam Honorii damnationem fuisse, rem non evincit.

Idipsum confirmat Matthaeus Caryophilus Archiepiscopus Iconiensis, in confutatione Nili Thessalonicensis: De Primatu Papae, dicens: *Non ferebant* (Orientales) *quatuor Patriarchas Cptanos anathematizari ut haereticos Monothelitas, et non inseri Honorium Romanum.*

rint unam in Christo voluntatem et operationem, capite praecedenti sat luculenter probatum est. 4. adiungo, nedum Epistolam Honorii referri ad Epistolam citatam Pirrhi, sed etiam ad « ceteras chartas, pro« fessiones, et libellos quae pertinebant ad prae« sentem dogmaticam motionem » ut verbis ipsius Georgii chartophylacis utar et ipsorum Orientalium in loco obiecto; at quis unquam inficiabitur in ceteris libellis haeretica dogmata fuisse contenta ? Ergo dum idem iudicium de Honorii epistola secunda tulerunt patres, rexpexerunt etiam ad eius doctrinam, non autem ad silentium tantummodo; 5. demum, ea quae dicit Honorius de duabus naturis *propria operantibus atque operatricibus* non erant silentio premenda, sed omnino praedicanda. Qua de causa omnino constat, in diiudicandis eius epistolis errasse Patres in facto dogmatico.

Neque excusari possunt, si dicantur errore facti decepti, putantes illas epistolas haeretico animo sensuque conscriptas, etsi possent catholico sensu explicari. Nam 1. quo monumento didicerant, si epistolae excipiantur, Honorium monothelitam fuisse? 2. nonne et ab hac calumnia RR. Pontifices eum purgaverant, cum et voluntatem humanam propugnasse affirmarant, et voluisse, silentium indicendo, obsistere haeretico errori ? 3 demum de mente auctorum iudicasse Orientales ex lectis epistolis, ex universis actis apparet. Sane Actione XIII. gloriosissimi iudices dixerunt: « praenominatarum perso« narum scripta in medium producantur, ut inam« plius manifestetur secta earumdem personarum;» ut alia documenta plurima hac de re praetermittam. Sed neque excusari possunt ea ratione quod iudicium, Agathonis praesertim, de Honorio latum,

non fuerit dogmaticum; nam 1. illud latum fuit in Occidentali Synodo. 2. vero semper verum est, eum noluisse damnari praedecessorem suum, eiusque epistolas ut haereticas proiici, quod per illas Monothelitis obstiterit, non faverit; immunes proinde ab omni iudicaverit errore; et necessarium est, ut aliquod Concilii decretum habeat infallibilem auctoritatem, ut prodeat ab episcopis cum Ecclesiae capite coniunctis, vel saltem ab eo confirmetur. Pariter nullimode suffragatur Orientalibus quod cum iudicium de Honorii epistolis latum sit eadem sessione ac eodem decreto, quo damnata sunt scripta Sergii et aliorum Monothelitarum; si circa primum eos errasse dicamus, sequitur neque circa reliquos fuisse infallibiles. Siquidem Honorii causa erat distincta; et in causis distinctis, etiamsi in eadem sessione iudicentur, nulla repugnantia est, si de omnibus rectum iudicium non proferatur, admisso quod circa aliquam debitae conditiones servatae non fuerint. Nullam deinde repugnantiam video, si dicatur idem decretum infallibiliter pronuntiatum de plurimis, non vero de uno, aut e contra. Si ex. gr. Concilii Tridentini Patres, arrepto Pauli testimonio: « Arbitramur iustificari hominem per fidem. » Rom. I. 28, quo Lutherus abutitur ad excludenda opera bona, hanc sententiam damnassent, eosque omnes qui eam protulerunt, iis non exclusis qui iuxta sensum Apostoli locuti fuerant; nonne eodem decreto illi etiam damnati cum Luthero et protestantibus fuissent? Et tamen quis circa horum damnationem Tridentinos Patres infallibilis auctoritatis censeret? Etiamsi igitur eodem decreto Patres Synodi VI. Honorium damnaverint, nulla contradictio est, si dicantur errasse, cum ei decretum applicaverint

infallibiliter quidem pronuntiatum in Sergii, Cyri etc. epistolas, circa quos consentientes habebant Agathonem et occidentalem Synodum, repugnantes vero circa Honorii causam et damnationem.

Quid ad haec dicent qui mihi fortasse adversantur? dicturi ne sunt 1. sententiam contra Honorium eiusque epistolas latam a Patribus Orientalibus legitimam omnino fuisse, et ex adsistentia Spiritus Sancti prolatam, quod illis sessionibus interfuerint Legati S. Agathonis, neque ullimode Patrum iudicio contradixerint, imo actis subscripserint?

2. Dicent ne, Hadrianum secundum Romanum Pontificem in sua ad Patres Concilii VIII. epistola affirmare, in damnando Honorio praecessisse iudicium Apostolicae Sedis; proindeque damnationem illam prodiisse a Patribus Synodi VI. coniunctis una eademque sententia cum ecclesiae capite?

3. Dicturi sunt ne, a S. Leone II. qui Agathoni successit, probatam et confirmatam fuisse sententiam Concilii VI. etiam relate ad Honorium, successoresque Pontifices Romanos in professione fidei, quam emittebant, antequam consecrationem acciperent, Concilia demum Oecumenica VII. et VIII. illam damnationem confirmasse? Absurdam proinde meam esse sententiam, qua defendo, dum damnavit Honorium eiusque epistolas, Concilium VI. neque legitimum fuisse, neque ecclesiam universam repraesentasse, et consequenter errasse in facto dogmatico?

Ad haec distinctis capitibus respondebo. Et ut primae difficultati satisfaciam.

CAPUT XIII.

LEGATI AGATHONIS CAREBANT FACULTATIBUS NECESSARIIS ET OPPORTUNIS ASSENTIENDI HONORII ET EPISTOLARUM EIUS DAMNATIONI.

Revera debuisse legatos se continere intra limites eis ab Agathone, et a Romano Concilio praestitutos res est certissima; siquidem aliena auctoritate fungebantur; unde haec auctoritas tam late patebat, quam eis concessa fuerat. Sicut igitur ille qui agit de alterius mandato et facultate, si aliquid agat, quod mandata et concessas facultates excedat, multo magis si eis adversetur, nullius roboris est; ita si Legati Romanae Ecclesiae dum assensi sunt Honorii damnationi, excesserint facultates sibi concessas, eorum assensus nullius ponderis, et nullius auctoritatis esse debet, et est.

At sanctum Agathonem nullimode legatis dedisse mandatum assentiendi Honorii damnationi, patet manifestissime, quod ipse in epistola sua ad Imperatores Honorium a quacumque haeresi purgaverit, virumque plane catholicum declaraverit, in eorumque Pontificum censu reposuerit, qui obstiterant monothelitico errori. Quomodo ergo defendi potest, ipsum facultatem legatis ad Concilium VI. pergentibus dedisse assentiendi eiusmodi damnationi? Si catholicum Honorium declaraverat, eum haereticum fuisse non putabat; si haereticum non putabat, eum nolebat condemnari; si nolebat eum condemnari; ergo non dedit facultatem legatis assensentiendi damnationi si qua lata fuisset; proindeque hi dum Patribus Orientalibus R. Episcopum damnan-

tibus assensi sunt, excesserunt limites facultatum suarum: Quod ut ulterius probem. In citata Epistola loquens S. Agatho de suis legatis, quos ad Concilium mittebat, postquam dixerit, eos viros esse non satis in sanctarum scripturarum scientia versatos (1) subiungit: « Licentiam proinde eis sive aucto-
« ritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum
« imperium, dum iusserit eius clementia, sim-
« pliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat
« iniunctum est, ut nihil profecto praesumant au-
« gere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius
« Apostolicae Sedis, ut a praedecessoribus Aposto-
« licis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare. »

Equidem, dicet aliquis, haec verba fidem tantummodo respicere videntur. Esto; respiciant fidem. Ergo 1. non fecit Agatho potestatem legatis damnandi Honorium; si enim et hanc eis dedisset, cum damnatio illa non pertineret ad fidem, ut adversariis placet, non restrinxisset ad hanc tantummodo facultates concessas; atque ita eorum auctoritatem coarctasset et ampliasset eodem tempore, quod contradictorium est.

At 2. quaero; nonne ex adverso in illo fidei decreto comprehendebatur etiam Honorii fides? Si illa erat traditio praedecessorum Pontificum; ergo erat etiam Honorii traditio. Si Romani Pontifices semper Mo-

(1) ,, Non pro confidentia eorum scientiae quos dirigimus, ,, praesentes confamulos nostros... cum supplici cordis devotio- ,, ne curavimus demandare. Nam apud homines in medio gen- ,, tium positos, et de labore corporis quotidianum victum cum ,, summa haesitatione conquirentes, quomodo ad plenum po- ,, terit inveniri scripturarum scientia ,, ? etc. Et paullo post eos vocat idiotas ,, non per eloquentiam saecularem, quae nec suppetit idiotis hominibus.

nothelitico errori obstiterunt; ergo neque Honorius eum aliquando professus est. Cum autem huius nomen ab haereticis publicaretur, quod in suis ad Sergium Epistolis Monotheliticum errorem docuerit; dum S. Agatho Apostolicae Sedis doctrinam tradebat, et Honorium a quacumque haeresi vindicabat, affirmabat eius doctrinam sanam undequaque extitisse; secus in turpem contradictionem fuisset prolapsus.

Unde enim dicemus, Agathonem doctrinam Sergii, Cyri, aliorumque Monothelitarum haereticam iudicasse? Nonne ex doctrina, quam profitebatur Romana Ecclesia? A pari igitur ab haeresi immunem iudicavit Honorium ex eadem Romanae Ecclesiae fide. Dum igitur illos haereticos iudicavit, hunc vero minime; quin imo haeresi obstitisse affirmavit, iudicium S. Agatho ex fidei doctrina instituit, quam irretractabiliter in suis definiebat epistolis. Etiamsi igitur dicamus, descripta verba fidem respicere, non potest ab illa sententia Honorii fides excludi, sicut non potest excludi sive Sergii, sive Cyri fides, ex qua hi damnabantur, innocens vero ille declarabatur; qua de causa non potuit S. Agatho licentiam dare legatis assentiendi Honorii damnationi. 2. vero, peto ab adversariis meis. Cum S. Agatho affirmabat praedecessorem suum obstitisse haeresi monotheliticae, eum nec ne defendebat? Verum nec ne dicebat? Certe defendebat Honorium, et verum dicebat. Nolebat ergo ut condemnaretur, sicut rex non vult eum condemnari quem ex animo ipse defendit, quod innocentem agnoscat. Quomodo igitur legatis licentiam assentiendi damnationi illi eique subscribendi dare poterat S. Agatho? Nonne contra conscientiae suae, animique persuasionem egis-

set? Nonne facinus non leve putare debebat, Romanum Pontificem sine iuxta causa damnare? Haec autem quomodo, de S. Agathone non dico, sed de alio quocumque viro, qui mediocri probitate praeditus sit, affirmari possint, ego non video. Si enim ex animi sententia in epistola sua S. Agatho defendebat Honorium, et tamen legatis committebat damnationi eius assentiri, aut innocentem damnabat, aut mentiebatur, aut utraque culpa animam suam virtutibus omnibus praecellentem commaculabat. Et haec de S. Agathone dici ne possunt? Lectores iudicent.

Qua de causa prorsus probare nequeo ea, quae doctissimus Natalis Alexander H. E. Saec. VII. Dissert. II. Propos. I. scribit; ideo legatos Romanae Sedis assensum in damnationem Honorii accommodasse, quod fortasse ab Agathone secreto moniti de assensu praestando fuerant. « Adde, inquit, « facultatem damnandi cum ceteris Honorium « forsan legatis, non quidem palam in epistola « synodica, sed privatis in mandatis datam, ut in « negotiis odiosis fieri solet ».

Haec, inquam, nullatenus sunt admittenda. Siquidem, vel S. Agatho assentiri volebat damnationi Honorii, vel non; si primum; quare in epistola defendit Honorium? Si alterum; quomodo secreta mandata assentiendi damnationi illius Legatis dare poterat? Haec agendi methodus non repugnat fortasse conscientiae diplomaticorum aliquorum nostri temporis; sed repugnabat certe Agathonis conscientiae, sicut repugnat sinceritati cuiuslibet probi viri.

E contra ego puto, ideo ab Agathone adeo constrictas facultates legatorum fuisse, quod cum probe nosset ab Orientalibus Honorium ut haereti-

cum haberi, illa potestatis legatorum restrictione impedire volebat, quominus damnatio, quae lata in Honorium fuisset, legitima foret. De cetero cum agatur de facto, documentis res est dirimenda, et non suppositionibus, quae merito reiiciuntur. Sed dicent: Si ab Agathone secreta mandata saltem assentiendi damnationi Honorii legati non habuere; quare non reclamarunt? quare non obstiterunt?

Ad quae respondeo 1. Ex quo ignoremus causas silentii illius, non sequi, legatos habuisse facultatem assensum suum praestandi eiusmodi condemnationi. Quodnam enim est hoc argumentum? Dum damnaretur Honorius, legati tacuerunt. Ergo licentiam habuerunt, vel eum damnandi, vel eius assentiendi damnationi? Profecto consequentia desideratur.

Quid, insuper, si tacuerunt, quod si damnationi illi adversati fuissent, etiam Graeci opposuissent sese damnationi Sergii, et ceterorum antistitum ecclesiae Cptanae quos nominatim excommunicandos non erubuit Actione XVII. Patribus proponere Georgius Cptanus Episcopus? Et proinde neque e sacris diptycis tantorum haereticorum nomina fuissent expuncta, sine quo nec damnati a Concilio videri poterant? et ita in errorem Christi fideles inducti fuissent, quod Sergius, Pirrhus, Paulus haeretici non essent, cum adhuc eorum nomina in Ecclesiis recitarentur?

Quid si tacuerunt, quod timebant, ne Concilium dissolveretur, neque ultra ipsa fidei tractatio procederet? Quid, si silentium observarunt, quod cum ipsi in scientiis sacris admodum versati non essent, timebant, ne non potuissent cavillationibus et sophismatibus Graecorum respondere, qui certe ex epistolis Honorium haereticum demonstrare studuissent;

et ita nocumento potius, quam auxilio eius causae fuissent futuri ?

Quid, si non sese opposuerunt, quod inutilem oppositionem suam futuram fuisse perspicerent ? Si enim Graeci Georgio ipsi Constantinopolitano roganti, ne sui praedecessores nominatim excommunicarentur, morem gerere detrectarunt , paruissent ne legatis Romanae Sedis , qui nullimode ut damnaretur Honorius voluissent , et hoc contra omnium fortasse Graecorum mentem, qui ipsum ut haereticum habebant ?

Quid demum, si prudentia ducti tacuerunt? Cum enim scirent ad Romanum Pontificem pertinere acta Concilii confirmare, sperabant futurum, ut ipse aptissimum inventurus esset medium, quo damnationem illam in irritum deduceret. Interea vero melius damnationi, saltem apparenter, subscribere arbitrati sunt, ne ea quae circa fidem Orientales definierant , horum malitia evacuarentur. Quae diximus, certissime (attenta praesertim Graecorum indole) a legatis timenda erant; qua de causa eorum silentium nedum non probat occultas facultates eis concessas Honorii damnationi assentiendi, sed excludit; gravissimis enim causis compulsi tacuerunt.

Etiamsi igitur legati Agathonis assensi sint, etiamsi subscripserint , nullus est eorum assensus, eorumque subscriptio nulla. Quam quidem conclusionem ex disputatis certissimam, auctoritate S. Leonis I. Romani Pontificis confirmo, qui in epistola ad Maximum Antiochenum Patriarcham loquens de Canone 28. Concilii Chalcedonensis quo conferebantur iura Patriarchica Episcopo Cptano, omnino affirmat , nullius auctoritatis illum habendum esse, quamvis ei assensum suum accommodassent Legati

Sedis Apostolicae, cum de eo assensu praestando mandatum non habuerint. « Si quid sane (inquit « Leo) ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum « vice mea misi, praeter id quod ad causam fidei « pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit « penitus firmitatis; quia ad hoc tantum ab Apo- « stolica Sede sunt directi, ut excussis haeresibus « catholicae essent fidei defensores. » Si igitur nulla futura fuisset Legatorum S. Leonis subscriptio in Canonem 28. Chalcedonensis Synodi, quod de illi subscribendo mandatum ab Apostolica Sede non habuerant, validum nos arbitrabimur assensum a Legatis Agathonis praestitum Honorii damnationi, cum de illo assensu praestando nedum non habebant mandatum, sed interdictum, ut ex epistolis Agtathonis ipsius, et Concilii Romani coniicere poterant?

Si nulla fuisset damnatio Honorii, ut insistam S. Leonis testimonio, etiamsi huius damnationis nulla mentio intercessisset, quia, ut constat ex Agathonis epistola ad Imperatores, ad hoc tantummodo directi erant, ut exponerent traditionem Romanae Ecclesiae circa duas Christi operationes et voluntates, « Traditionem huius Apostolicae Sedis « sinceriter enarrare; » nos eam legitimam putabimus, cum videmus Agathonem, et universam Romanam Synodum damnationi illi obsistentes?

Hinc pergo ad dissolvendam gravissimam illam difficultatem petitam ex iis, quae scribit Hadrianus II. in sua Allocutione III. ad Patres Concilii VIII. quae lecta fuit Actione VII. per Petrum Diaconum et Scrinarium.

CAPUT XIV.

DE IUDICIO APOSTOLICAE SEDIS QUOD, IUXTA HADRIANUM II. ROMANUM PONTIFICEM, HONORII DAMNATIONEM PRAECESSIT

« Intollerabilis est, inquit Hadrianus, ista prae-
« sumptio, et hanc aures praecordiorum, fateor, su-
« stinere non possunt. Quis unquam vestrum tale
« quid, precor, audivit, vel quis huiusmodi temeri-
« tatis, saltem lectione immensitatem invenit? Siqui-
« dem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum
« praesulibus iudicasse legimus; de eo vero quem-
« quam iudicasse non legimus. Licet enim Hono-
« rio ab Orientalibus post mortem anathema dictum
« sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hae-
« resi accusatus, propter quam solam licitum est
« minoribus maiorum suorum motibus resistendi,
« vel pravos sensus libere respuendi; quamvis et
« ibi nec patriarcharum, nec ceterorum Antistitum
« cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi
« sententiam, nisi eiusdem primae Sedis Pontificis
« praecessisset auctoritas.

Affirmat igitur Hadrianus, in damnando Honorio ut haeretico praecessisse iudicium Apostolicae Sedis.

Ut itaque respondeam. Praetermitto argumentum illud, quod desumi posset ex coaevorum silentio, cum nullus tradiderit ab aliquo Romanorum Pontificum ante Concilium VI. fuisse damnatum Honorium; (1) Hadrianum vero illa primum scripsisse

(1) Verba Patrum Concilii VI. in epistola Synodica ad Agathonem; *Anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata et Honorium etc.* nihil probant, ut demonstravi, et paullo post iterum demonstrabo.

post annos 189 (2), qua de causa cum factum publicum et solemne necessario fuerit, quodque nullum auctorem latere potuerit; merito ex silentio eorum, qui ante Concilium VIII vixerunt et scripsere, possemus de veritate eorum, quae Hadrianus affirmat dubitare. Praetermitto etiam quod non satis se peritum in historia praedecessoris sui, et in sacris canonibus ostendat. A quo enim Honorius de haeresi accusatus fuerat? Nonne a Monothelitis, a Pirrho praesertim? At haeretici ex sacris canonibus a ferendo testimonio excludebantur. Catholici e contra, occidentales praecipue turbabantur scandalizati quod illius nomine et sententia Monothelitae abuterentur. Ioannes IV. S. Maximus, S. Agatho eum defenderant; quae omnino Hadrianum latuere; quare etiam ex hoc capite eius testimonium parvi mihi faciendum esse videtur; non enim illorum testium circa aliquod factum sententia valere dicenda est, qui circumstantias facti ipsius ignorasse deprehenduntur. At istis praetermissis. Si quod Apostolicae Sedis iudicium in damnando Honorio ante Concilium VI. praecessit, illud prodire ab Agathone certo certius debuit. Cuius enim Pontificis in eo Concilio valere auctoritas potuit, si Agathonem excipiamus? Aut cuius ponderis fuisset praedecessorum eius iudicium, si ipse Honorii damnationi obstitisset? Nonne hoc ipso in irritum eorum sententiam deduxisset? Ista vero ut adaequate respondeam dico; siquidem eorum qui ante Agathonem cathedram Romanam rexere, neminem eiusmodi condemnationem protulisse, aliquem vero de-

(2) Siquidem Concilium VI. celebratum fuit anno 680; Concilium vero VIII. contra Photium anno 869.

fendisse, certissimum in Historia est. Itaque si ante Concilium VI. ab aliquo Romanorum Pontificum damnatus Honorius est, condemnatio ab Agathone prodiit. At, quaeso, quanam in epistola, quonam in Concilio, quonam in decreto hic condemnavit Honorium? Quandonam sive ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, sive ad orientales Episcopos scripsit de Honorio condemnando? Quandonam saltem Occidentalibus Episcopis proposuit, an ille damnari posset? Haec certe nullibi legimus. Si praecessit itaque in ea damnatione Agathonis iudicium, si Patres Concilii VI de eius consensu illud protulere, iudicium hoc quaerere debemus in Epistola Synodica et dogmatica, quam ipse dedit ad imperatores pro Concilio VI. celebrando. At, peto, ex iis quae supra disputavi, dici ne potest S. Agatho ea in epistola Honorium damnasse? Nonne imo defendit? Nonne reposuit inter eos, qui Monotheliticae pravitati semper obstitere? Nonne immunem ab omni declaravit errore? Iudicium ergo Agathonis in damnando Honorio non praecessit; eorum vero Pontificum qui ante ipsum Romanae cathedrae praefuere, nullam pariter damnationis huius praecessisse sententiam, certissimum est. Ergo Patres Orientales in Concilio VI. Honorium non damnarunt ex iudicio quod praecesserit Apostolicae Sedis, neve de eiusdem consensu.

Sed dicturus aliquis est; documenta certe nunc desunt, quibus probari possit, ab aliquo Romanorum Pontificum damnatum Honorium fuisse ante Concilium VI, sed extitisse Hadriani II. aetate quis unquam inficiabitur, cum ipse in testimonio supra citato diserte affirmet, eiusmodi praecessisse iudicium? Equidem, si documenta contraria non existerent,

id fortasse concederem; sed quomodo hanc sententiam defendere possumus, quando existit Agathonis epistola, qua Honorium omnino defendit, et a quo iudicium illud prodire omnino debuit? Et nihil dico de Martino 1, qui in Concilio Lateranensi minime damnavit Honorium, etsi Secretario IV. lecta fuerit epistola Pauli Constantinopolitani Episcopi ad Theodorum Papam, in qua affirmabat, eum professum fuisse unam voluntatem in Christo (1). Quin imo Secretario 1. dicit. « Apostolicae memoriae nostri de-« cessores non destiterunt praedictis viris, diversis « temporibus constantissime scribentes, et tam ro-« gantes, quam regulariter increpantes, nec non « per Apocrisarios suos pro hoc maxime destina-« tos quatenus proprium emendarent *novitatis commentum.* » Quam sententiam iterum repetit in epistola Synodica ad omnes fideles(2), in qua, postquam dixerit hanc haeresim introductam per Theodorum Pharanitem, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pirrhum, et Paulum Cptanos, de Romanis Pontificibus e contra dicit. « Ideoque propter pravas eo-« rum adinventiones, et praviora novitatis com-« menta... conturbati catholicae recordationis an-« tecessores nostri Pontifices non destiterunt ad-« monentes eos et contestantes recedere a sua huiu-« smodi haeresi, et sanam doctrinam amplecti.... « Hoc autem consultissime non solum ipsi effecisse « noscuntur, sed et alii plures etc. » Atque haec protulit, inquam, etsi Paulus ut Monothelitam Honorium traduxisset.

(1) En verba Pauli ,, Quibus concordantes et consonantes fa-,, cti sunt piae memoriae Sergius et Honorius, unus quidem ,. novae, alter autem antiquae Romae Summi Sacerdotii Sedem ,, decorantes ,,.

(2) Apud Lab. Tom. VI. Concil. pag. 371. Edit. cit.

Etiamsi igitur de Honorio specialem mentionem non fecerit Martinus; cum tamen generice affirmet, omnes praedecessores suos obstitisse monothelismi commento, etiam de Honorio id dictum voluit. Quod optime cognovit S. Agatho; siquidem sententiam suam a Martino mutuatus est, ut ex collatione patet. Nihil dico de Ioanne IV. qui pariter in Apologia, quam pro Honorio scripsit ad Constantinum Heraclii filium, ipsum omnino defendit.

Quin imo; ipsi Patres Concilii VI. in causa sunt, quare diserte affirmem, nullum in damnando Honorio Apostolicae Sedis iudicium praecessisse. Siquidem (quod tamen iam animadverti) Actione XIII cum gloriosissimi iudices a Patribus peterent, ut iterum in medium proferrentur « sive Synodica, sive dogmatica opuscula, vel epistolae » Sergii, Honorii, Pirrhi, Pauli, Petri, Cyri etc, ut et ipsi « eorum perciperent cognitionem; » superfluum hoc esse, Patres responderunt, primo quidem, quia « sententia eorum de una voluntate et una ope-« ratione omnibus manifesta esset; » deinde vero quia S. Agatho in epistola sua omnino praescripserat, damnandos esse, qui similia cum Sergio senserant. « De hoc vero et Agatho sanctissimus « antiquae Romae praesul per suggestionem suam « eorum revelavit contrariam intentionem, imo ma-« gis etiam declaravit, eos qui similia senserunt cum « Sergio, qui exorsus est novitatem vocis cacodoxam, « et blasphemam introducere in catholica ecclesia « doctrinam. Unde etiam hos cum propriis eorum « scriptis praefatus sanctissimus Papa proiecit.

Repositum vero inter eos, qui Sergio assensi fuerant a Patribus Orientalibus etiam Honorium, ex sequentibus patet, dum definierunt epistolam

eius secundam concurrere in eamdem inpietatem cum scriptis Sergii, Cyri, Pirrhi etc.

Patres Orientales igitur ideo praecessisse iudicium Apostolicae Sedis circa Honorii condemnationem putarunt, quod S. Agatho scripserit, eos omnes damnandos esse, qui Sergio asssensi deprehensi fuissent. Nullum ergo aliud iudicium Apostolicae Sedis praecessisse circa Honorii damnationem putarunt quam iudicium Agathonis, non quidem Legatis suis commissum, aut per ipsos ostensum, sed per epistolas ad Imperatores datas. Si enim etiam ab aliquo alio Pontifice illum damnatum cognovissent, putabimus ne de eo silentium habituros fuisse? Cum autem dum ipsi affirmant Honorium, implicite saltem, ab Agathone damnatum, turpiter hallucinati sint; (1) non enim S. Agatho damnare potuit quem defendebat et quem contraria iis quae a Sergio scripta fuerant, sensisse affirmabat; patet, nullum prorsus ante Concilium VI. praecessisse Romanorum Pontificum iudicium, quo damnaretur Honorius.

Insuper dum initio Actionis XIII. damnationis decretum contra Sergium, Cyrum, Pirrhum, Petrum, Paulum et Honorium protulerunt; illos quidem damnatos ab Agathone fassi sunt, hunc vero dicunt inter illos reponendum: *Cum his vero si-*

(1) Argumentum Graecorum, ut dixi, eiusmodi fuit. Agatho proiecit per suas sacras literas eos omnes, qui similia scripserunt cum Sergio. Atqui *Honorius* similia sensit cum Sergio. Ergo Agatho per sacras suas literas proiecit etiam Honorium. Atque hinc apparet, quare in epistola Synodica scripserint; *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata*...et Honorium; quod nempe S. Agatho scripserit. *Restat... ut et novitatis error cum suis inventoribus, et iis qui eorum doctrinam sequuti sunt, propriae praesumptionis poenam exsolvat.*

mul proiici a sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari praevidimus et Honorium etc. Si Agatho et Honorium proiecisset, quare hanc distinctionem innuerunt? Ex proprio igitur, non Romanae Sedis iudicio ei anathema dixerunt; ex quo etiam apparet nullimode a Legatis ostensam aut intentionem, aut voluntatem, aut consensum Apostolicae Sedis circa eiusmodi damnationem; sin minus enim non sibi tantummodo eam tribuissent; sed quo magis auctoritatem et firmitatem ei conciliarent, et Agathonis consensum allegassent; adeo ne enim stulti dicendi sunt Orientales, ut dum Sergium aliosque Graecos damnabant, usi sint R. Pontificis auctoritate, praetermiserint vero dum damnabant Honorium, in cuius damnatione erat omnino necessaria?

Quid igitur? Dicemus ne mentitum fuisse Hadrianum II. dum illa affirmavit? Minime; sed dicimus deceptum epistola Synodica Patrum Concilii VI. ad Agathonem R. Pontificem, qua aperte affirmabant Honorium etiam fuisse damnatum per ipsius sacras literas. *Anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras literas de iis prius lata videlicet Theodorum episcopum Pharan, Sergium, Honorium, etc.* Solitos enim fuisse Romanos Pontifices, praesertim dum concilium aliquod celebrandum foret, prae manibus habere epistolas Synodicas Conciliorum generalium praesertim, unicuique certum esse debet. Volebat autem Hadrianus in irritum mittere scandalosum illud Photii Conciliabulum, in quo hic ausus fuerat ipsum S. Nicolaum I. Romanum Pontificem excommunicare, atque proinde scripserat, Photium primum fuisse qui tan-

tum esset nefas molitum. (1) Ne vero Graeci exciperent, etiam Honorio a Synodi VI. Patribus anathema dictum; duo reponit Hadrianus, et hunc fuisse super haeresi accusatum, ob quam tantummodo licet minoribus anathema in maiores sedes proferre, neque tamen id ausos Orientales futuros, nisi Apostolicae Sedis praecessisset auctoritas; quod postremum praesertim a Graecis repudiari non poterat, quod haberetur in ipsa Epistola Synodica Concilii VI. ad Agathonem.

Atque hinc iterum repeto Hadrianum II. prorsus ab Epistola Synodica Patrum Concilii VI. fuisse deceptum. In quonam alio enim documento, non dico ante Concilium VI., sed etiam postea haec duo reperiuntur, et Honorium super haeresi fuisse accusatum proindeque ut haereticum condemnatum; et id ex sententia prius a Romanis Pontificibus lata, factum esse, si excipias illam synodicam Patrum Concilii VI. ad Agathonem epistolam? Patet igitur, ex Hadriani II. testimonio omnino non probari, Orientales in Concilio VI. fuisse cum Romano Pontifice coniunctos, dum Honorium anathemate perculerunt.

Tertiam porro difficultatem, quae desumitur ex confirmatione damnationis Honorii per Leonem II. Rom. Pontificem sive per successores eius, ita expediendam esse duco.

(1) Memoria lapsus videtur Hadrianus, Nam ante Photium etiam Dioscorus Alexandrinus Patriarcha S. Leonem magnum excomunicaverat. Verum ob illud quoque anathema damnatus in Concilio Chalcedonensi Dioscorus fuerat.

CAPUT XIII.

NEQUE LEO II, NEQUE SUCCESSORES EIUS UNQUAM PROBARUNT DAMNATIONEM HONORII EO SENSU QUO LATA FUIT AB EPISCOPIS ORIENTALIBUS IN CONCILIO VI.

Sensus igitur propositionis est, sententiam contra Honorium latam in Concilio VI. abrogatam potius a S. Leone II. quam confirmatam; numquamque a successoribus Pontificibus eo sensu, quo lata fuit, fuisse receptam. Et ut incipiam a Leone II. Qui affirmant, Honorium damnatum in Sexta Synodi negligentiae in Monothelismo extirpando, et non haeresis proprie dictae, duplici praecipue innituntur capiti; et nonnullis sententiis Patrum Concilii, quibus dicitur damnatus, quod Sergii mentem in omnibus secutus sit, haeresim et impia Monothelitarum dogmata confirmaverit etc; ex quibus concludunt, diversa ratione illum damnatum ac Sergium, Pirrhum reliquosque Monothelitas. 2. innituntur sententiae S. Leonis II. in sua ad Constantinum Pogonatum Epistola, qua Concilium VI. confirmavit, in qua in praedecessorem suum anathema dicit veluti in illum qui Sanctam et Apostolicam Romanam Sedem « *non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit* » Assumptis igitur Leonis II. verbis, dicunt, eum fuisse optimum Concilii VI. interpretem, damnasse vero Honorium non haeresis, sed negligentiae; qua de causa etiam Patres Concilii VI. eum eodem damnasse nomine.

At ego quidem hanc ratiocinationem falsam omnino esse puto, neque concedendum esse arbitror,

Leonem II. interpretem egisse Concilii VI. et non iudicem. Siquidem tum alicujus sententiae interpretatio locum habet, cum vel ex contextu orationis, vel ex aliqua intentionis eorum, qui locuti sunt, cognitione, vel circumstantiis, vel aliqua vocabulorum ambiguitate alius sensus innuitur ab eo diversus, quem oratio praeseferre videtur; non autem cum oratio aperta est, verba clara et evidentia, certa insuper eorum, qui locuti sunt, intentio, circumstantiae vel nullae, vel interpretationi non faventes. Nisi enim haec in interpretanda aliqua sententia ratio habeatur, nescio an quis non possit interpretari mandata evidentissima, apertissimasque leges; quin imo nescio, an aliquid a legum latoribus dici possit, quod in alium sensum trahi nequeat.

At Orientalium Patrum sententias, quibus sive Honorium ipsum, sive ejus anathemati subjecerunt epistolas, evidentissimas esse, claras, et apertas, ut dubio alicui, et proinde neque alicui interpretationi locum relinquant, quis unquam inficiari poterit, si eas pacato animo, et non praejudiciis abrepto, perpendat? Dicunt enim, se Honorium damnationi submittere, quod una cum Sergio scripserit quae *sunt aliena ab Apostolicis dogmatibus, a definitionibus conciliorum, a Patrum doctrina, sequatur vero falsas doctrinas haereticorum* (1); dicunt, Honorii scripta in eandem impietatem concurrere cum ceteris Monothelitarum scriptis, et proinde igne exterminanda (2); dicunt, diabolum per eum ut per Sergium, Cyrum, etc. disseminasse in Ecclesia haeresim de una voluntate et operatione (3); dicunt,

(1) Act. XIII.
(2) Ibidem sub fine.
(3) In expositione fidei lecta Act. XVIII.

ut paucis rem expediam, ea omnia quae capite IX. retuli; unum tantummodo discrimen admittunt; quod scilicet Sergius, Cyrus, Teodorus etc. fuerint haeresis inventores, Honorius vero confirmator, unam tamen eamdemque utrorumque esse doctrinam.

Atqui, peto a quolibet cordato viro, possunt ne hujusmodi phrases diverso accipi sensu ab eo, quem praeferunt ? Non puto. Et contrarium affirmare, est, ut verbis Hieronymi utar in Ep. ad Paulinum, *ad sensum suum incongrua aptare testimonia.*

Cum itaque Patres Orientales in Concilio VI. Honorium damnaverint ratione dogmatum ; quomodo affirmare possumus, S. Leonem II. eorum egisse interpretem , et non potius sententiam ab iisdem latam abrogasse, dum ipse Honorium non haeresis, sed negligentiae coarguit? Haec enim sententia ejus in Ep. ad Constantinum Pogonatum (1). Anathematizamus Honorium, qui *hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est*; vel ut ex textu graeco legimus, *immaculatam maculari permisit* » Et haec alia multo mitior, quam dixit in ep. ad Episcopos Hispaniae (2) damnare se, nempe, Honorium , *quia flammam haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem incipientem extinxit , sed negligendo confovit.* Et haec alia, quam profert in Ep. ad Ervigium Hispaniae Regem (3): *De catholicae Ecclesiae adunatione projecti sunt . . . una cum eis Honorius, qui immaculatam Apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis*

(1) Lab. Tom. VI. pag. 1009. Edit. Paris. 1671.
(2) Ibid. pag. 1246.
(3) Ibid. pag. 1250.

accepit, maculari consensit (1) Hae, inquam, Leonis sententiae quomodo interpretatio vocari possunt eorum omnium, quae sive contra Honorium, sive contra eius epistolas Orientales Patres protulere; cum hi de haeresi loquantur, Leo vero de negligentia; illi dicant Honorium maculasse fidem, hic vero consensisse, ut macularetur; illi Honorium ut verum haereticum traducant, iste ut illum, qui haeresim negligentia sua confoverit? Fortasse ne haeresis et negligentia idem sunt, et non toto coelo distant? Verba igitur Concilii VI. Patrum nullum relinquunt interpretationi locum; qua de causa affirmo, S. Leonem eorum sententias neque interpretari potuisse.

Quam de cetero interpretationem ipsae circumstantiae, in quibus Honorii causa versabatur, excludunt. Siquidem Orientales Episcopos, etiam antequam Concilium VI. celebraretur, habuisse eum haereticum, iam probavi ex ipsa Constantini Pogonati Epistola ad Donum Rom. Pontificem, (2) qua affirmat, Graecos expungere quidem voluisse e sacris diptycis Vitaliani R. Pontificis nomen, minime vero nomen Honorii ob reverentiam Romanae Sedis. « Multam nobis instantiam fecerunt, ut eiiceretur « Vitalianus beatissimus de diptychis, asserentes « Honorium memorari in diptycis propter hono- « rem Apostolicae Sedis antiquae nostrae Ro- « mae. » Fortasse ne Vitalianus non erat Romanae Sedis Antistes ut Honorius? Non igitur pro-

(1) Tres recensitas Leonis II. Epistolas Baronius, aliique suppositas putant. Nolo hanc quaestionem expendere; sed dico, quod si citatae epistolae suppositae sunt, S. Leo Honorium neque negligentiae damnavit. Quod melius est.

(2) Apud Lab. Tom. VI. pag. 593. Edit. cit.

pter reverentiam Romanae Sedis; sed quod Monothelitam hunc putarent, reliquos vero Pontifices illi pravitati adversari, horum quidem nomina e diptycis abradere, illius vero in Ecclesia nomen recitare velle una cum nominibus Sergii, Cyri, reliquorumque Monothelitarum. Constat insuper idipsum ex variis haereticorum testimoniis, quae supra retuli in quibus affirmant, ab Honorio negatas duas voluntates et operationes. Cum itaque Graeci ut verum haereticum Honorium haberent atque traducerent, eiusque causae ipsi in Concilio VI. se iudices constituissent, quomodo putare possumus diversam ab iisdem super Honorium prolatam fuisse sententiam, ab ea, quam animo volvebant, quamque omnino certam arbitrabantur? Talibus ergo circumstantiis causa Honorii versabatur, et a talibus iudicabatur iudicibus, ut ab iis nullus benignae interpretationi locus relinquatur. Qua de causa, cum S. Leonis II. sententia menti Orientalium omnino adversetur, non illum horum interpretem egisse dico, sed eorum abrogasse sententiam, aliamque substituisse. Rursus solitos fuisse Romanos Pontifices, qui Leonem II. praecesserunt, dum acta Conciliorum confirmarent, vel decreta fidei simpliciter approbare, vel ea ad verbum fere repetere, unicuique patet. Ita S. Caelestinus 1. simpliciter confirmavit acta Concilii Ephesini; (1) ita S. Leo, quin ad verbum repeteret decretum de fide latum in Chalcedonensi Concilio, (2) simpliciter illud confirmavit. At vero Vigilius in sua, qua confirmavit Concilium V. Epistola, prolatum in eo contra tria

(1). An 431 (2) An 451

capitula decretum, ad verbum fere repetit, ut legentibus utriusque scripta patebit. (1). Hunc utpote fortasse tempore sibi proximiorem, imitatus S. Leo videtur epistola illa sua, quam dedit ad Constantinum Pogonatum pro confirmatione Synodi VI. Siquidem Patres dum anathematizatos a Synodo recensuerunt in epistola Synodica ad Agathonem (2), ita dicunt: « Anathematibus interfecimus, ex sententia per « sacras vestras literas de iis prius lata, videlicet, « Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Ho- « norium, Cyrum, Paulum, Pirrhum, et Petrum. « Ad hoc autem et post eos, qui vivunt, suscepta « illorum impietate, vel ut apertius dicatur, Apol- « linarii et Severi, et Themistii exosorum Deo, « Macarium, qui fuit Antiochensium magnae urbis « Episcopus... et Stephanum eius ad amentiam « discipulum ad impietatem doctorem, item Poli- « chronium, qui in dogmatibus haereticis nomini « suo respondens, inveteravit; eos demum, qui si- « milia, atque hi, impoenitenter docuerunt aut « docent, sentiunt aut senserunt.

Iisdem porro fere verbis S. Leo II. hanc Patrum Concilii VI. sententiam repetit, dicens: (3) « Pariterque anathematizamus novi erroris inven- « tores, id est, Theodorum Pharanitanum Episco- « pum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pirrhum, « Paulum, Petrum Cptanae Ecclesiae subversores « magis quam praesules; nec non et Honorium, « qui hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolicae « traditionis doctrina lustravit, sed profana pro-

(1) Extant apud Lab. Tom. V. Edit. cit.
(2) Habetur Act. XVIII apud Lab. Tom VI. pag. 1072 Edit Paris. 1671
(3) Epist. cit. ad Imperatores.

« ditione immaculatam maculari permisit. Et om-
« nes qui in suo errore defuncti sunt. Similiter
« anathematizamus et abominamur imitatores eo-
« rum et complices, qui dudum fuerunt, vel nunc
« usque sunt, id est Macarium quondam fallacissi-
« mum Antiochiae Ecclesiae deceptorem cum sui
« erroris discipulo, imo magistro Stephano; et
« cum eis Polichronium novum, ut ita dicam, Si-
« monem, qui haereticae pravitatis delusus phan-
« tasmate, mortuos suscitare pollicitus, dum va-
« nam eius praesumptionem effectus non sequitur,
« fallax et in hoc omnibus comprobatus est. »

Ex collatione utriusque sententiae, evidenter apparet 1°. S. Leonem Honorium expunxisse ex numero eorum, qui vere haeretici erant; 2°. haeresis non damnasse sed negligentiae; non enim dicit, maculasse fidem, sed maculari permisisse; 3°. qua de causa dum illos de errore dogmatico damnat, hunc tantummodo de vitio personali arguit. Ergo S. Leo minime interpretatus est sententiam contra Honorium ab Orientalibus latam, sed eam omnino rescidit abrogavitque. Sin minus enim, quare eum e loco suo semovit? quare non recensuit cum aliis haereticis? quare damnat ob diversum reatum? Profecto, si in aliquo Episcoporum Concilio decretum fuisset, Liberium ex. gr. Romanum Pontificem subscripsisse secundae Sirmiensi formulae, quae erat prorsus Ariana; et causa ad tribunal Romanae Sedis delata, haec definiret, non secundae, sed primae formulae subscriptum a Liberio fuisse, quaero; sententia haec dici ne posset interpretatio et non potius abrogatio sententiae prioris? Eodem porro pacto res pro Honorio cedit. Patres Synodi VI. ipsum haeresis damnaverant; re ad tribunal Leonis delata,

16

non haeresis, sed negligentiae in haeresi extirpanda illum reum fuisse affirmat. Non probavit igitur S. Leo sententiam Synodi VI. neque eam interpretatus est, sed omnino respuit abrogavitque. Qua de causa sententia lata ab Orientalibus contra Honorium caret confirmatione Pontificia, et omni robore destituitur.

Facillimum autem est probare, Pontifices omnes, qui Leoni II. successerunt, nunquam latam a Synodo VI. sententiam probasse, confirmasse vero potius illam S. Leonis.

Siquidem 1°. in professione fidei, quam emittebant antequam consecrarentur, confitebantur se anathematizare Honorium, non quod haereticus fuerit, sed quod haereticorum assertionibus fomentum impenderit. « Auctores vero novi haeretici dogmatis « Sergium, Pirrhum, Paulum et Petrum Constan« tinopolitanos damnamus, una cum Honorio, qui « pravis eorum assertionibus fomentum impendit (1). Haec porro verba a S. Leonis II. epistolis desumpta esse, quis unquam dubitaverit ? (2).

Secundo vero, Romanos Pontifices semper suae Sedis infallibilitatem propugnasse, aut asseruisse (ne quis scandalizetur) numquam Petri Successores in fide errasse, sexcentis testimoniis probare possem. Cum autem superfluum iudicem, in re tam evidenti plurimorum testimonia referre, duos proferam; Nicolaum nempe 1. in epistola ad Michaelem Balbum Imperatorem Graecorum, atque Hadrianum II. in fidei professione, quam misit ad Patres Concilii

(1). Habetur haec fidei professio in libro Diurno RR. Pontificum

(2). Ex his vero patet etiam genuinitas Epistolarum S. Leonis, quas supra commemoravi.

VIII, quamque profiteri deberent Episcopi Sedi Cptanae subiecti (1).

Nicolaus itaque diserte affirmat, numquam Romanae Sedis Antistites cum haereticis sapuisse, aut haereses propugnasse. « Nos enim nec tenuis sal-
« tem rumor aspersit aliquando cum prava sapien-
« tibus sapere, quanto minus concertare ? »

Hadrianus vero II. ex verbis Domini (2) *Tu es Petrus* etc. duo concludit, et Sedem Apostolicam errare in fide non posse, et de facto numquam errasse: « Non potest, inquit, Domini Nostri Iesu
« Christi praetermitti sententia dicentis : Tu es Pe-
« trus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam
« meam. Haec quae dicta sunt, rerum probantur ef-
« fectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est
« semper conservata religio, et sancta celebrata
« doctrina » (3).

Ergo Romani Pontifices in sua fidei professione nunquam anathema dicere Honorio potuerunt in sensu Patrum Orientalium, quin sibi turpissime contradicerent. Unde enim verum esse poterat, Romanos Pontifices nunquam in fide errasse, si aliquando damnassent Honorium quasi in fide naufragium fecerit ?

Ad haec tamen repositum fuisse scio, in Festo S. Leonis II. usque ad initium saeculi XVIII. haec lecta fuisse in lectionibus secundi Nocturni « Hic
« suscepit sanctam sextam Synodum, in qua con-

(1) Legitur haec professio Actione 1. Concilii VIII. Ed. Latin. Anastasii.

(2) Matth. XVI, 18.

(3) In iis dicendis Hormisdae Papae formulam Hadrianus repetit.

« damnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pirrhus,
« Paulus et Petrus, nec non Macarius cum disci-
« pulo suo Stephano, sed et Polychronius novus Si-
« mon, qui unam voluntatem et operationem in Do-
« mino Iesu Christo dixerunt, vel praedicaverunt »
Cum itaque haec in Breviario Romano legerentur, duo Ecclesia Romana confessa est, et Honorium praedicasse unam voluntatem et operationem in Christo; et ob id fuisse una cum Sergio, Cyro etc. in sexta Synodo damnatum. Quasi vero, ut obiectis respondeam, Romani Pontifices decretum aliquod ediderint, quo dixerint, vera ea omnia esse quae in Breviario Romano de Sanctis leguntur in lectionibus secundi Nocturni; omnesque historias, et facta omnia, quae ibi recitantur, aliam auctoritatem habere, praeter eam, quam sibi ex criticae regulis vindicare possunt.

Equidem S. Pius V. Bulla, quae incipit *Quod a nobis* data Romae 7 Idus Iulii anno 1568, nihil in Breviario mutandum, addendum, vel detrahendum decrevit; sed ut tolleretur orandi varietas, et unitas etiam in publicis precibus servaretur; non quod nihil detrahi, aut addi posse statuerit, quia ea quae in Breviario habentur, vera omnia esse decreverit.

Hanc eandem fuisse intentionem Clementis VIII. in Bulla *Cum in Ecclesia* data Romae die 10 Maii 1602 patet, ex quo ibi fateatur, se per viros doctos et pios restituisse in gradum pristinum Breviarum Romanum a Pio V. editum, quod fuerit progressu temporis in multis depravatum. Qua de causa si sub poena excommunicationis, suspensionis a divinis, et interdicti ab ingressu Ecclesiae prohibet locorum ordinariis, ne aliquid addi vel

detrahi permittant; hoc decernit, ut servetur orandi unitas, et ne aliquis praesumeret audaces manus in publicam Ecclesiae liturgiam mittere; non quod Clemens aliquid decreverit circa veritatem historicam eorum, quae recitantur in Breviario.

Hinc et Urbanus VIII. Bulla quae incipit *Divina Psalmodia* data Romae die 25. Ianuarii an. 1631, declarat, se, piorum, doctorumque virorum adhibita cura, sermones, homilias, et sanctorum historias, quae leguntur in Breviario Romano, collatis veteribus manuscriptis recognovisse. Qua de causa et Urbanus fassus est, nullam aliam auctoritatem inesse narrationibus, quae in Romano Breviario recitantur, si eam excipias, quam ex documentorum authenticitate sibi vindicant. Si igitur falsa sit aliqua historia, quae in Breviario recitetur, dici Romana Ecclesia non potest illam ut veram declarasse.

Ex his vero patet solutio obiectae difficultatis. Non enim ex quo in Breviario Romano legerentur, quae obiecta sunt de confirmatione VI. Synodi per S. Leonem II. sequitur, eo prorsus sensu ab eo confirmatam Synodum illam fuisse, sed sequitur tantummodo, tanti valere obiectam auctoritatem, quanti valent documenta ex quibus desumpta fuit; proindeque si documentis authenticis contradicat, nullius esse ponderis dicemus; neque aliquod sibi robur comparare, quod per plura saecula in Breviario praedicta verba fuerint recitata.

Eia igitur. Quid tandem in obiectis verbis continetur? S. nempe Leonem approbasse Synodum VI. qua damnati sunt Sergius, Cyrus, Honorius etc. quod *Unam voluntatem et unam operationem in Domino Nostro Iesu Christo dixerint et praedicaverint*,

In hac porro narratione duplex factum continetur, et Sextam Synodum, seu, ut verius loquamur, Patres Orientales in VI. Synodo damnasse Honorium, quod duas voluntates et duas operationes negaverit, et ejusmodi sensu relate ad Honorium Leonem II. Synodum illam suscepisse. Primum factum esse certissimum ex iis quae disputavi cap. IX. satis superque constat. At alterum esse falsissimum, ex iis, quae paullo ante scripsi, abunde pariter patet. Hinc, cum factis historicis, quae in Romano Breviario recitantur, nulla alia insit auctoritas, praeter eam, quam ex documentorum, ex quibus desumpta sunt, authenticitate sibi vindicare possunt; si ea documentis authenticis repugnare inveniantur, et falsa, et nullius auctoritatis, et nulla Romanorum Pontificum approbatione gaudere dico, etsi in Breviario Romano recitentur.

At vero omnino certum puto, auctorem, qui illas lectiones composuit, non legisse neque S. Leonis II. Epistolas pro confirmatione Synodi VI, neque fidei professionem a Romanis Pontificibus emissam; si enim ea documenta legisset, invenisset utique Sergium, Cyrum etc. damnatos a Leone quod unam voluntatem et unam operationem docuerint, Honorium autem quod immaculatam fidem Romanae Ecclesiae maculari permiserit, vel quod pravis haereticorum assertionibus fomentum impenderit; non quod negaverit duas voluntates et duas operationes in Christo Domino et Deo nostro. Quare cum recitatio illa omnino veteribus et authenticis documentis contradiceret, merito a Breviario Romano expunctam esse nullus inficiabitur.

Instant tamen, et dicunt: Quidquid sit, per plurima saecula Romani Pontifices lectiones illas re-

citarunt, ergo eas veritati niti sunt arbitrati. Quid quid sit, et ego respondeo, Romani Pontifices recitarunt etiam lectiones S. Marcellini 1. thus idolis offerentis; recitarunt lectiones S. Clementis 1. in quibus, ut alia praetermittam, habetur historia templi marmorei angelicis manibus praeparati in profundo maris, quod ad tria milliaria recesserat; per plurima saecula legerunt historiam baptismatis, quod Constantinus Romae a S. Silvestro Papa suscepit, et alia etiam legerunt, et legunt, et legimus. Ergo et Romani Pontifices, ergo et nos qui pias illas historiolas adhuc legimus veritati niti eas arbitramur? Nullam ipsi, nullam nos omnes qui divinas horas persolvimus, eis fidem tribuimus. Quod si aliquando tum Romani Pontifices, tum ceteri catholici historiolis illis fidem suam adiunxerunt; haec non erat fides, sed credulitas, quae tanti valet et tandiu durat, quanti valet, et quandiu durat opinio circa authenticitatem documentorum a quibus desumptae fuere; hac autem sublata, quaecumque credulitas ruit, quia haec credulitas est personalis, non catholica, est huius et illius, non Ecclesiae, fundatur in criticae regulis, non in dogmatibus scripturae aut traditionis. Quis autem nescit, doctissimos Patres Maurinos illos fuisse qui criticae sacrae regulas latius extenderint? et ante illos, Arianorum expositiones in Evangelia creditas fuisse expositiones S. Ioannis Chrisostomi, ne hac in re narranda sim prolixior? cum itaque Romani Pontifices numquam lato decreto affirmaverint, vera esse ea omnia quae in Breviario Romano leguntur, quomodo concludi potest, eos verum credidisse confirmatam a Leone II. damnationem Honorii eo sensu, quo a Patribus Orientalibus lata fuit in VI. Synodo, et Honorium ipsum praedicasse unam volun-

tatem et unam operationem, ex quo haec duo in citatis S. Leonis lectionibus haberentur? Haec legitime ex praemissis non sequuntur (1).

Antequam vero huic capiti finem imponam, iis satisfaciendum arbitror, qui a me petere possunt: an Romani Pontifices Honorium damnaverint ut privatam personam, vel uti gerentem universae ecclesiae principatum. Quibus proinde respondeo, solido argumento defendi non posse, hunc ab illis damnatum ut personam privatam. 1°. quidem, quia quantum ad personam individualem attinet eum damnarunt, ut damnatum cognovere a Patribus Orientalibus in Concilio VI. Hos vero damnasse Episcopum Romanae Ecclesiae, quis unquam negaverit.? Dicunt enim semper illum se damnare et epistolas illius, qui fuerat Papa antiquae Romae. Cum vero haec verba usurpent etiam dum loquuntur de aliis Romanis Potificibus qui nullimode ab ipsis ut haeretici habebantur; patet quod eodem sensu ea de Honorio dixerint. 2°. Quia Romani Pontifices a quibus Honorius damnatus est, numquam hanc distinctionem innuunt; quam de cetero, etsi verissimam, multo tamen serius inductam a Theologis fuisse nemo non novit. 3°. Quia semper loquuntur de Honorio ut de Romanae Ecclesiae Episcopo. Ita S. Leo II. eum damnat, quod non *lustraverit Ecclesiam Romanam Apostolicaae traditionis doctrina*, quod

(1) Hic aliquis fortasse me interrogabit; Quare Ecclesia Romana Breviarium non emendat? Cui ipsis Honorii verbis Ep. 1. ad Sergium N. 6, respondeo: *Ad nos ista pertinere non debent*, relinquentes ea Romano Pontifici, et Patribus Concilii Vaticani; qui cum et sub Romano Pontifice optime huic emendationi consulere possunt, si velint.

non obstiterit dogmati monothelitico, ut decebat apostolicam auctoritatem; quod consenserit maculari regulam traditionis Apostolicae quam *immaculatam acceperat a praedecessoribus suis.* At haec verba referri utique possunt ad Honorium ut gerentem primatum Ecclesiae, non autem ut privatam personam. Ut enim privata persona nec erat apostolica auctoritas, nec erat successor Romanorum Pontificum, nec poterat immaculatam conservare Apostolicae traditionis doctrinam eo sensu quo S. Leo II. loquitur, ut patet. 4°. Quia Hadrianus II. in testimonio supra citato, omnino de illo loquitur ut de Romano Pontifice universae Ecclesiae capite, cum affirmet, nullum ante Photium ausum fuisse primae Sedis Antistitem excommunicare, neque anathema ei ab Orientalibus dici potuisse, nisi fuisset de haeresi accusatus et praecessisset iudicium Apostolicae Sedis. Loquitur ergo de Honorio ut de Romano Pontifice, primo quidem, quia ut privata persona potuisset etiam ob alia crimina condemnari; deinde vero, quia minores, seu inferioris auctoritatis fuisse dicit omnes Orientales in Concilio VI. collectos. At universa Orientalis Ecclesia non erat certe illo inferior, ut privata persona considerato. Demum quia Romani Pontifices locuti semper de Honorio sunt, ipsumque condemnavere quod notissimas illas ad Sergium dederit epistolas. Illas autem profectas ab eo fuisse ut a Romano Pontifice, et non ut a privata persona, satis manifestum esse arbitror.

Quare ad postremam difficultatem dissolvendam progredior, quae desumitur ex condemnatione Honorii repetita in Conciliis VII. et VIII.

Paucis tamen me expediam, siquidem. 1. quae ab initio vitiosa, fuere tractu temporis convalescere non possunt; cum itaque, ut ex dictis constat, in Synodo VI. damnatio Honorii omnino vitiosa fuerit, nullimode vim accipere potest quod ea repetita in praedictis Synodis inveniatur.

2°. Conciliorum auctoritas se extendit tantummodo ad illas causas speciales, ob quas convocata sunt; et si quae alia in iis pertractentur, debent servanda servari. Concilium autem VII. collectum fuisse ad conterendos Iconoclastas; VIII. vero ad Photium e Sede Cptana exturbandum, restituendum vero Ignatium legitimum Patriarcham, neminem latet. Quare ut repetita in illis Honorii damnati aliquod robur habuisse dici possit, servanda servata fuisse probandum est. Quis autem sive e Graecis, sive e Latinis huius causae discussionem et examen proposuit? Nullus. Quis Honorii epistolas iterum examini subiecit, vel Concilii VI. acta revolvit, ut iustum proferretur iudicium? Nullus. Quis anteacti temporis historicos et scriptores interrogavit praesertim Romanorum Pontificum iudicia? Nullus. Quid demum in hisce repetitis R. Antistitis condemnationibus actum est? Damnata nempe eorum sententia, qui negaverant duas Christi voluntates et operationes. At huiusmodi dogma numquam negaverat Honorius, iis etiam fatentibus, qui Pontificis Romani infallibilitati adversantur; quare immerito prorsus cum ceteris Monothelitis eum reponebant damnabantque. At dices: neque Sergii et Cyri etc. iterum discussa est causa in Conciliis VII. et VIII. et tamen eorum damnatio legitima censetur. Quia scilicet, iure meritoque damnati in Concilio VI. fuerant, cum reapse haeretici fuerint; haereticus autem

fuit ne Honorius? Id non probabitur in aeternum. Atque de cetero non ideo horum damnatio valet, quod iterum damnati in his Synodis sint; sed quia in VI. Synodo condemnati inveniantur, in qua iuridicum examen et iudicium circa eorum fidem institutum est ; in postremis etenim Synodis circa Sergium, et reliquos Monothelitas servanda servata non fuere.

Ut rem casu simili declarem; in Concilio VII. tum in epistola Tharasii ad Orientales, (Action. 3.) tum in epistola Theodori Patriarchae Hierosolymorum , (ibid.) tum in professione fidei (Action. VII) repetita Originis damnatio fuit ut lata in Synodo V. Quis autem dixerit eiusmodi damnationem aliquid roboris habere, cum magnus ille vir innocens ab iis erroribus, de quibus accusatur, censeatur et sit? Idem prorsus de Honorio dicite.

3°. Demum, Romani Pontifices, qui has Synodos confirmarunt, numquam eas probarunt circa Honorii condemnationem. Cum enim ipsi in professione fidei citata eum damnarent, quod *pravis haereticorum assertionibus fomentum impenderit*; non receperunt certe, neque probarunt, quoad hanc causam, praecedentes Synodos, in quibus damnabatur Honorius , ut qui una cum Sergio, Cyro etc. negasset duas voluntates et duas Christi operationes; nulla vero Synodus sive ex toto, sive ex parte vim habet, aut habere potest, nisi a Romano Pontifice confirmetur.

Praetermitto vero, quod cum iam Leo II. abrogaverit sententiam Concilii VI. et Romani Pontifices, tempore saltem quo Concilia haec celebraban-

tur (1) in sua fidei professione Honorium negligentiae damnarent, non poterant Graecis assentiri eum de haeresi damnantibus, quin sibi turpiter contradicerent; qua de causa dicendi sunt Graeci semper contra mentem Romanorum Pontificum sese gessisse, dum illam Honorii condemnationem synodaliter repetebant.

(1) Siquidem formula illius professionis a Gregorio II. praescripta fuit, qui Pontificatum gessit ab an. 715. ad an. 731. Concilium autem VII. haberi coepit an. 786. Octavum vero anno 869.

CAPUT XV.

CONCLUSIO ET REFUTATIO EORUM QUAE CIRCA HONORII CAUSAM SCRIPSIT CAROLUS IOSEPHUS DE HEFELE EPISC. ROTTENBURGENSIS.

Ex disputatis circa praesentem quaestionem haec constant.

1° Sergium ad Honorium dedisse epistolam quae aperte contineret Monotheliticam haeresim.

2° Honorium e contra binas ad eum scripsisse literas absolute catholicas, quae Monotheliticae pravitati prorsus non faverent.

3° Has epistolas ut haereticas damnatas esse ab Orientalibus in Concilio VI; eosque proinde errasse in facto dogmatico.

4° Eiusmodi iudicium tribuendum non esse Synodo oecumenicae; quod latum sit contra Romani Pontificis et occidentalis Synodi sententiam, etiamsi ei subscripserint Apostolicae Sedis Legati; nam et hi carebant facultatibus opportunis et necessaris ut latae damnationi subscriberent,

5° Neque Leonem II. neque Successores Pontifices latam in VI. Synodo contra Honorium sententiam unquam confirmasse, insuper abrogasse, cum non haeresis, sed negligentiae damnaverint; consequenter eiusmodi damnationem, prout ab Orientalibus conclamata fuit, pontificia confirmatione carere, et nullius roboris esse.

6° Honorii proinde causae illam nullimode nocere; eumque virum plane catholicum fuisse, et retinendum ab omnibus esse.

Verum dum haec typis mandarentur, prodiit Scriptum, cui titulus: *Causa Honorii Papae*, quod scri-

psit Carolus Iosephus de Hefele Episcopus Rottenburgensis (1) vir si quis alius doctissimus, et in Ecclesiastica historia peritissimus, quique plurimis operibus sese celeberrimum reddidit.

In eiusmodi Scripto tria quaerit 1. An Honorius aliquid ex cathedra tanquam dogma fidei praescripserit, quod reapse haereticum fuit.

2° Num Concilium quoddam oecumenicum ius sibi vindicaverit *sententiam ferendi* de Pontifice sic decernente, *eumque ut haereticum condemnaverit.*

3° Quo sensu haec condemnatio a coaevis, praesertim a Romanis Pontificibus recepta, et diiudicata fuit.

Primum ita resolvit: (pag. 10) « Honorium « Papam specifice orthodoxum terminum technicum, « *duas operationes*, reiecisse; terminum vero spe« fice haereticum, *unam voluntatem* ut verum « declarasse, duplicemque hunc errorem praescripsis« se credendum (proxime quidem Ecclesiae Constan« tinopolitanae).

Secundam quaestionem ita definit: (pag. 13.) « Synodum oecumenicam VI. 1. ius sibi vindicasse « sententiam ferendi de Papa ex cathedra loquen« te; et 2. condemnasse ipsius ex cathedra datum « fidei decretum, eumque anathemate perstrinxis« se eo, quod haereticam doctrinam confirmasset. »

Ad 3. vero ita respondet) pag. 15): A saeculo VIII. « usque ad saeculum XI. quemlibet Pontificem munus auspicantem iureiurando firmasse.

(a). Concilium oecumenicum iudicare posse Papam propter haeresim.

(1) Prodiit Neapoli Typis fratrum de Angelis in via Pellegrini. 4.

(b) Honorium a VI. Concilio oecumenico iure fuisse anathematizatum, quia suo fidei edicto haeresim approbaverit.

Dicit itaque 1. Honorium decretum ex cathedra lato haeresim monotheliticam confirmasse.

2. Illud decretum ex cathedra pronuntiatum perstrictum anathemate a Concilio oecumenico fuisse.

3. Scriptores coaevos, Romanos praesertim Pontifices eiusmodi confirmasse latam in Synodo VI. sententiam.

His ita resolutis, sectione secunda eiusdem scripti quaerit elevare eorum momenta, qui Honorii causam defendendam suscepere; quo successu, quoad nonnullos, infra videbitur.

Quoad primam quaestionem affirmat, Honorium haeresim monotheliticam confirmasse, ex quo reiecerit terminum orthodoxum (*duas operationes*) et praescripserit ut regulam fidei haereticum terminum (*unam voluntatem*). Primum caput probat his Honorii sententiis.

a) Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica re-
« torquere, quae neque synodales apices super hoc
« examinantes, neque auctoritates canonicae visae
« sunt explanasse, ut unam vel duas energias ali-
« quis praesumat Christi Dei praedicare.

b) « Nos enim non unam operationem vel duas
« Iesum Christum, eiusque Sanctum Spiritum per-
« cepimus, sed multiformiter cognoscimus operatum.

c) « Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet...
« hortantes vos, ut unius vel geminae novae vo-
« cis inductum operationis vocabulum aufugientes,
« unum nobiscum Dominum Iesum Christum etc,

Ut vero melius Honorii sententiam lectores per-

cipiant, ita eum introducit alloquentem Sergium; « Bene fecisti, vetando usum termini *unam operationem*, utpote in quo monophysitismum suspicari licet; similiter in termino *duae operationes reperiri posset nestorianismus*, neuter autem terminus biblicus est. De cetero terminus *duae operationes* falso adhibetur; Christus enim operatus est multiformiter (v. gr. nunc manducabat, dormiebat, docebat, aegros sanabat etc.) Honorius itaque confundebat energiam seu *operationis modum* in se cum singulis *eiusdem manifestationibus*.

Ut itaque ad eiusmodi quaestionem interea respondeam; dico 1. Honorium nunquam affirmare in termino *duae operationes* reperiri posse Nestorianismum, sed parvulos id putare posse; *ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur*; non dicit proinde eliminandum esse illud vocabulum ut falsum, et ideo falsum quia ex eo Nestorii dogma sequatur, sed dicit eo abstinendum esse, quod parvuli, id est infirmi in fide eo scandalizentur veluti de Nestorianismo. Qua de causa non est Honorio tribuenda doctrina, quam ipse neque veram existimat, neque ex ea ita ratiocinatur, ut vult Remus Episcopus; si enim vere putasset ex vocabulo duarum operationum sequi Nestorianismum, eos qui id timebant non vocasset parvulos, seu in fide infirmos, sed viros plane fideles, et summopere orthodoxos, qui nedum Nestorianorum haeresim respuerent, sed etiam vocabula, quae ad eam recta ducerent, ut esset in casu vocabulum duarum operationum. Ita dum Sergium laudat *novitatem vocabuli auferentem*, subdit: *quod posset scandalum simplicibus generare*. Loquitur ergo in

hisce Honorius, non de sua fide, sed de imbecilli fide illorum, qui vocabulis sive unius, sive duarum operationum scandalum sumebant, quibus silentio illarum vocum consulendum esse arbitratus est.

Quandonam vero Honorius dixit vocem duarum operationum falso adhiberi? Etenim 1. ab initio epistolae fatetur. « Iesum Christum operatum « divina media humanitate Verbo Dei naturaliter « unita, eumdemque operatum humana ineffabi- « liter atque singulariter assumpta carne, discre- « te, inconfuse atque inconvertibiliter ». Si igitur Christum *discrete* operatum et *inconfuse* mediantibus utrisque naturis confessus est Honorius; ergo et duas operationes confessus simpliciter est. Si enim ab una divinitate utriusque naturae operationes censuisset prodiisse, iam eas non dixisset *discretas et inconfusas* sed prorsus indiscretas et confusas, cum principium quod, et principium quo earumdem fuisset ipsum Verbum, et tantummodo distinctae fuissent inter se nunquam ratione principii, sed termini, ad quem illae desinebant; ita ut operationes ex. gr. manducandi, et bibendi essent prorsus divinae in se, distinguerentur autem ratione termini, quod hae nempe operationes desinerent ad corpus, non autem ad divinitatem. Cum itaque duas operationes de facto agnoscat in Christo Honorius, non censuit certe falso adhiberi vocabulum quod illas exprimeret per se, neque quoad alios simpliciter, sed habita ratione *scandali quod posset simplicibus generare.*

2. Honorius fatetur Christum *plene Deum et hominem*; neque homo autem, neque Deus plene, seu perfectus est sine operatione sua; ergo si Honorius consequentias deducit ex principiis quae pro-

fitetur, non potuit arbitrari vocabulum duarum operationum falsum esse, aut false adhiberi.

3. Neque id sequitur ex quo dicat: *Nos enim non unam operationem vel duas D. I. Christum eiusque sanctum Spiritum sacris literis percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum*; etenim id dicit habita ratione multiplicium operationum, ut ita dicam, materialium, quas tamen ad duas reducit, dum et paullo ante de iis omnibus operationibus dixerat. « Utrum autem « propter opera humanitatis et divinitatis una an « geminae operationes debeant derivatae dici vel « intelligi etc. » Admisit ergo Honorius simpliciter *duas operationes* in Christo; quod paullo post confirmat dicens « plene et perfecte Christum mul- « tisque modis et ineffabilibus communione utrius- « que naturae operatum. » Relate igitur ad principia quibus operationes eliciuntur, duas operationes admittit, divinas scilicet et humanas; illud ergo *multiformiter* non refertur ad principia, sed ad terminum, seu ipsas materiales operationes, quae numerice distinguuntur, ut reapse erant manducare, bibere, docere, aegros sanare. Siquidem hae operationes numerice quidem sunt multae, specifice autem duae, divinae nempe et humanae. Hinc etiamsi doctissimo Episcopo concederem Honorium confudisse *operationis modum* cum singulis eiusdem manifestationibus, non concederem tamen ex hoc sequi, eum duas operationes negasse seu duas energias, et duplicem vim operationes exerendi, quae inerat naturae humanae et divinae; nam manifestatio operationis extrinseca tot energias indicat quot species operationum; at manifestationes a doctissimo Episcopo recensitae duas specificas operationes indicant, divinam scilicet et humanam; ergo Honorius has ener-

gias in se admisit; ni velimus dicere divinitati eum tribuisse aut somnum, at famem, aut sitim, de quibus iam dixerat ab initio; *cum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones*; ideoque nec velle posse pro se actiones manducandi aut bibendi, etc; quae cum ad humanitatem pertineant, quam perfectissimam susceptam a Christo fatetur, dici non potest, eum eiusmodi proprias operationes humanitati denegasse, ut patet. Hinc hoc argumentum statuo : Qui confitetur Christum multiformiter operatum tantummodo in duabus naturis, et mediantibus duabus naturis, hic duas in Christo operationes simpliciter fatetur, divinam et humanam; atqui id confessus Honorius est; ergo etc. Ipse insuper ut patet ex iis quae disputavi cap. VII. huius dissertationis, has operationes a Verbo derivavit ut *a principio quod* operabatur, a natura vero humana *ut a principio quo* operationes eliciebantur, ergo Honorius etiam duas energias intrinsecas admisit, quas illae multiplices operationes manifestabant; ideoque locutus utique est in citato testimonio de operationis manifestationibus, non tamen earundem principia confudit. Quodnam est enim principium humanarum operationum? nonne activitas humanae naturae? sicut activitas divinae naturae est principium divinorum operum; utrasque vero naturas activas admisit Honorius; ergo operationum duarum principia, si ex universa epistola iudicandum de re est, et non tantummodo ex iis verbis, quae citat doctissimus antistes, non confudit.

Id vero evidentissime patet ex fragmentis quae supersunt secundae epistolae, ex quibus etiam ipse Honorii nostri fidem iudicat. Ex iis siquidem luce clarius constat, ab eo reiectum quidem materiale

vocabulum operationum, sed *operationes ipsas duas* evidenter admissas; siquidem in testimonio, quod ex parte, detruncatum scilicet affert Remus Episcopus, non dixit tantummodo Honorius: *Ceterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire debemus*; sed addidit: *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem.*

In quo certe non confunditur operationis modus cum singulis eiusdem manifestationibus, sicut non confunditur in verbis quae paullo post profert, dum dicit: *et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, inconvertibiliter praedicare propria operantes.* Quare autem auferendum dixerit Honorius vocabulum geminae operationis, certe doctissimus antistes legit, cum infra testimonium ab ipso citatum, dicat: *Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus, propter simplicitatem hominum, et amputandas inextricabiles quaestionum ambages etc.* Ex quibus evidentissime apparet, I. numquam repudiasse Honorium vocabulum duarum operationum, quod illud falsum putaverit, sed silentium circa illud indixisse propter simplicitatem hominum, et ad evitandas inextricabiles quaestionum ambages. 2. duas energias apprime distinxisse quae utriquae Christi naturae inessent 3. proindeque duas operationes Christi confessum fuisse ex activis prin-

cipiis procedentes, etsi suppresso materiali operationum vocabulo, non quod falsum putaret (hoc enim Rmo Epo persuasum esse volo,) sed quod scandalum simplicibus generaret, quod per illud fideles hi simplices (non Honorius) renovari putarent dogma Nestorianum, quod sese involverent inter inextricabiles quaestionum ambages. Cetera, quae ad hanc rem pertinent, videantur in cap. VII. huius dissertationis.

Interea observo, nunquam probari posse Honorium reiecisse vocem duarum operationum, quasi reapse negare voluerit per id duas Christi operationes; siquidem, ut dixi, repudiavit et eliminavit etiam vocabulum unius operationis; sequeretur igitur nullam in Christo operationem admisisse; qua de causa ne hoc absurdum devoremus, de eius fide *ex sententiis, non ex verbis* indicandum est, ut facit Remus Hefele; at actiones Christi in prima epistola vocat *opera humanitatis et divinitatis*; dicit *Christum operatum communione utriusque naturae*; in secunda vero has naturas dicit esse *propria operantes atque operatrices*; ergo de facto *duas operationes* admisit, *unam* de facto repudiavit, simul cum operationum nudis vocabulis ad scandala vitanda. Neque censere possumus, Honorium unam operationem statuisse quod dicat « hortantes vos ut « unius vel geminae novae vocis inductum voca« bulum aufugientes, unum nobiscum D. I. C. ope« ratum divinitus atque humanitus fide orthodoxa « atque unitate catholica praedicetis, » ut videtur existimare doctissimus antistes; siquidem quo sensu haec verba sint accipienda cap. cit. exposui. Iterum tamen observo hanc sententiam aliis verbis ab Honorio repeti in epistola 2 huiuscemodi: « pro una

« quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum « operatorem Christum Dominum in utrisque naturis « veridice confiteri » at hae naturae Christi iuxta Honorium erant *propria operantes atque operatrices*; ergo dum dicit Christum operatum *divinitus et humanatus* non potest ei, sine apertissima contradictione tribuere unam operationem; sed tantummodo attendit ad personam cui operationes tribuuntur, cum actiones sint suppositorum; praedicta igitur sententia huic aequipollet: *Fraternitas tua praedicet unum Christum dominum operatum divinitus et humanitus in duabus naturis propria operantibus atque operatricibus*; quod aliis verbis est; *praedicet in Christo duas operationes ex activis principiis procedentes.*

Quod adeo evidens fuit ipsis Monothelitis ut numquam, ut probavi in cap. cit., Honorii nomine abusi sint ad adstruendam unam operationem in Christo; percipiebant enim ex epistolis eius duas fuisse aliis verbis professum; et haec ratio est quare Abbas Ioannes in sua Apologia pro Honorio *ab hac macula eum purgare non praesumpsit*; quod nempe nullus accusaverat Honorium quod unam operationem statuisset, duas vero negasset, neque circa hoc caput eius auctoritate Monothelitae abuterentur: non quod putaverit a fide catholica in hoc recessisse, ut putat Hefele; indignum autem est ut nos accusemus Honorium circa quod ante Concilium VI. neque a Catholicis accusatum, neque a Monothelitis laudatum novimus. Hisce confecta videri res posset; attamen circa id quod dicit Rmus Episcopus, nempe Honorium reiecisse orthodoxum terminum technicum, dico, quod terminus aliquis eiusmodi est, cum consecratus a Patribus, vel a Conciliis, vel

a Scholis deprehenditur. At raro admodum duae in Christo operationes (*his verbis*) ante Honorium dictae a Patribus inveniebantur, a Conciliis vero nunquam, neque explicite terminus iste in scripturis invenitur. De cetero Rmum Episcopum cuperem erga Honorium indulgentiorem; quod ut praestet, legat quae dicit S. Athanasius de iis qui vocem quidem *Homousion* (*terminum technicum Orthodoxum dogmaticum*) etiam post Concilium Nicaenum repudiabant, fidem tamen *consubstantialitatis* aliis verbis profitebantur. « Viros autem, inquie« bat, qui alia quidem omnia Nicaeae scripta re« cipiunt, de solo autem consubstantialis vocabulo « ambigunt, non ut inimicos spectari par est. Ne« que enim velut Ariomanitas, aut Patrum ad« versarios homines aggrediemur, sed disputamus « veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos « sunt sententia, *solo nomine in controversiam « adducto.* ». Lib. de Synodis n. 41. Haec, inquam, dicebat S. Athanasius de iis qui post Concilium Nicaenum repudiabant Homousion, ea quidem de causa quod Sabellianismo viam aperire eis videbatur; et non erit eadem indulgentia dignus Honorius noster, qui profitebatur duas operationes in duabus naturis propria operantibus atque operatricibus, interdicto nudo vocabulo, non quod falsum illud censeret, sed quod scandalum simplicibus generaret, cum putarent per illud resuscitari Nestorianum dogma, duae scilicet in Christo personae? ut de medio tolleret inextricabiles quaestionum ambages? et hoc 46. annis circiter ante Concilium VI, in quo illud revera evasit *terminus technicus, et dogmaticus*?

His evolutis quae tantus tamque doctus Episcopus de Honorii fide dicit relate ad duas operationes Chri-

sti, perpendenda ea sunt quae profert relate ad unam voluntatem. Contendit siquidem illud *unam voluntatem fatemur D. N. I. Christi*, dictum ab Honorio fuisse de voluntate divina « *Quam divinam asserit.* » pag. 17.

Ne repetam quae dixi cap. 7. huius dissertationis circa falsitatem expositionis Reverendissimi Episcopi, insistam argumentis, quibus sententiam suam confirmare conatur. Duplici itaque argumento utitur, quorum primum ita proponit pag. 9. *Honorius.....terminum haereticum ut regulam fidei praescripsit asserens* ». Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.....Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius.

Quibus prolatis ex epistola Honorii, ita doctissimus Antistes prosequitur. « Honorius ergo sic ar-
« gumentatur: Christus assumpsit veram humanita-
« tem, plenam naturam humanam, non vero naturam
« humanam peccato corruptam, sed illam prout an-
« te lapsum fuit; ideoque in Christo non erat lex
« membrorum quae legi mentis adversaretur. Hacte-
« nus recte; abhinc vero sequentem in modum de-
« buisset ratiocinari: ideo in Christo non erat pecca-
« minosa, carnalis voluntas, sed solummodo bona vo-
« luntas humana divinae voluntati omnino confor-
« mis; adeoque reipsa duae voluntates, divina nimi-
« rum atque humana, eaque bona. Ast Honorius
« confundit has duas voluntates, vel bonam volun-
« tatem humanam, utpote divinae voluntati in

« omnibus consonam in hanc prorsus transire sinit;
« ideoque dicit: unde unam voluntatem fatemur Do-
« mini nostri «.

Aliud argumentum proponit pag. 17. etc. « Honorius opinatur Christum dicendo, non mea voluntas, sed tua fiat, non in proprio sensu et obvio esse locutum, sed habita ratione ad nos, ne nostram voluntatem sed Dei voluntatem exequamur. Quem in modum neutiquam loqui potuisset Honorius, si praeter divinam, etiam bonam humanam voluntatem in Christo statuisset ».

Ut itaque ad 1 respondeam. Imprimis quaero a Rmo Episcopo; quare Honorius debuisset ita ratiocinari, ut ipsemet ratiocinatur ex illius verbis? Quia nisi ita ratiocinetur, oritur confusio duarum voluntatum, vel bona voluntas humana utpote divinae in omnibus consona, in hanc prorsus transire sinitur.

Quid igitur si Honorius de humana tantummodo voluntate ea verba protulit? Doctissimus igitur Episcopus supponit id quod in quaestione versatur; siquidem quaestio est an sententia illa: *unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*, dicta ab Honorio sit de humana, an de divina voluntate.

Quomodo vero ipse probat eam de divina voluntate esse intelligendam? Hujuscemodi. Si Honorius illam unam voluntatem de divina non dixit, ex iis quae subiungit, *quia a Salvatore assumpta est nostra natura non culpa*, debuisset ita ratiocinari: *ideo in Christo non erat peccaminosa carnalis voluntas, sed solummodo bona voluntas humana divinae voluntati omnino conformis*, *adeoque reipsa duae voluntates*. Sed quare Honorius debuisset ita

ratiocinari ? Quia nisi ita ratiocinetur, oritur confusio voluntatum, vel conversio humanae voluntatis in divinam. Quid igitur si Honorius ea de humana voluntate ratiocinatus sit ? Minime. quare? Quia si ea de humana voluntate fuisset ratiocinatus, oriretur confusio voluntatum, vel conversio humanae voluntatis in divinam. Circulum video, Rme Pater ; quo vitioso argumentandi genere te expedire non poteris, nisi omnino fatearis, Honorium de humana voluntate eam protulisse sententiam.

Sed his praetermissis; fatetur Remus Episcopus Honorio de persona Christi ob oculos fuisse versatam fidem Chalcedonensem; (pag. 14) at fateri necessario debet, ei nedum de persona, sed etiam de duabus Christi naturis fidem Chalcedonensem ob oculos fuisse versatam ; siquidem Christum dicit *plene Deum et hominem*, id est *perfectum in deitate*, et *perfectum in humanitate*, *Deum verum et hominem verum*, ut scripsere Chalcedonenses; scripsit etiam, Verbum assumpsisse nostram naturam, illam profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.

Honorius igitur cum Patribus Chalcedonensibus professus est in Christo unam personam in duabus naturis perfectissimis; sed voluntas ad naturam pertinet, ut scribit Hefele pag. 7 ; ergo Honorius in humana Christi natura admisit voluntatem perfectissimam, qualem nempe potest habere natura incorrupta et innocens. Qua de causa non potuit opinari vel credere humanam Christi voluntatem in divinam transiisse , ne fidem Chalcedonensem destrueret.

2. observo, quod si hanc fidem scripsisset Honorius, non sancivisset tantummodo *terminum spe-*

cifice haereticum, sed ipsam haeresim sancivisset. Siquidem si voluntatem humanam in divinam transiisse docuisset; ergo existimavit vel eam in divinam fuisse mutatam, quod est non monotheliticum, sed eutychianum; vel eam mere passive se habuisse ad voluntates Verbi, quod est putidus monothelismus; praescripsisset igitur tum terminum tum ipsam fidem haereticam velut dogma fidei; eaque de causa chalcedonensi fidei nuntium misisset Honorius. At id falsum esse demonstratur etiam ex fidei professione, quam initio ep. 1. emittit, dum dicit: Christum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana, assumpta carne, *discrete et inconfuse*, *mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis*; at profecto hae differentiae non mansissent, si voluntatem humanam docuisset transiisse in divinam; demonstratur demum ex epistola II. in qua fatetur, Christo fuisse duas naturas *propria operantes atque operatrices*; operatio autem procedit a voluntate activa, cum sine hac nulla natura possit esse *operans atque operatrix*. Ex fide igitur Chalcedonensi, in qua ambulandum omnino esse decernit, sequitur, Honorium singulis Christi naturis suam voluntatem perfectam tribuisse, nec unquam arbitratum humanam in divinam transiisse.

Exinde vero iam sequitur, quod cum ipse dixit: « unam voluntatem fatemur D. N. I. Christi, » sequentem prorsus in modum ratiocinatus est: ideo in Christo non erat peccaminosa carnalis voluntas, sed solummodo bona voluntas humana divinae voluntati omnino conformis; adeoque reipsa duae voluntates divina nimirum et humana, eaque bona. Siquidem in praemissis, id concedente Remo Epi-

scopo, rite ratiocinatus fuerat; unde ergo falsam consequentiam deduxisse probat? ex quo, nimirum, expressis verbis non concludat quomodo ipsemet concludit; at concludit idipsum aliis verbis, affirmando nempe illam voluntatem esse *unam*, quod non haberet voluntatem repugnantem, seu legem membrorum et carnis, qua ad malum pertraheretur, quae de divina voluntate dicere non potuit, cum Verbi divini voluntas etsi corruptissimae naturae copulati numquam fomite concupiscentiae abripi potuisset. Qua de causa ita ratiocinatus est: in natura carente fomite concupiscentiae non sunt duae voluntates, una bona, altera mala; at natura Christi humana (de qua in cit. testimonio loquitur) carebat fomite concupiscentiae; ergo in natura Christi humana una erat bona voluntas; quod ratiocinium recidit in ipsam conclusionem, quam affert Rmus Episcopus, quamque rectam omnino dicit, et est.

De cetero illam unam voluntatem, de qua Honorius, esse humanam scriptorum irrefragabilium auctoritas defendit; siquidem hanc fuisse Honorii mentem tradunt Joannes Symponus, et Joannes IV; horum autem auctoritas et judicium dici non potest *vana et falsa assertio*, ut eam vocat Remus Hefele pag. 16; siquidem nedum ex contextu, sed ab illis ipsis, qui epistolam confecerant, quique constituebant Synodum Romanam, didicere quinam esset sensus recitatae sententiae. Dicendi autem ne sunt omnes sacratissimi viri Romanae Ecclesiae epistolae scriptores mentiti, et *vana et falsa assertione* Honorium, imo semetipsos defendere voluisse? Quidquid enim dicat doctissimus Episcopus, ex eorum testimonio omnino sequitur, noluisse eos Monothelismum propugnare, cum hanc haeresim ex

animo respuerent; eorum igitur assertio *vana et falsa* dici nequit donec vel mendaces probentur, vel saltem ex *ignorantia* monothelismum docuisse. Id vero probandum est adhuc. Ego vero contrarium defendendum esse existimo; siquidem 1. antequam Pirrhus abuteretur Honorii nomine ad propugnandam unam voluntatem, ipsi jam alteram epistolam scripserant, in qua duas Christi naturas dixerant *propria operantes atque operatrices*, quod, nisi admisissent voluntatem humanam activam et distinctam a Verbi divina voluntate, scribere non potuissent. 2. quia et Joanni IV, et Anastasio Abbati, et S. Maximo, et universis Occidentalis Ecclesiae episcopis, qui de Pirrhi affirmatione scandalo percellebantur, et Pirrho ipsi, et Monothelitis omnibus, qui ad adstruendam illam unam voluntatem numquam attulerunt argumenta Honorii, et Anastasio Bibliotecario, et illis omnibus qui conquerebantur Honorium injuria damnatum in VI. Synodo, et Leoni II, et successoribus Pontificibus numquam eum de haeresi damnantibus, ejusmodi esse sensum illius sententiae semper visum est, (id de postremis dico) non obstanti Orientalium judicio; hos omnes vero non intellexisse Honorii sententiam difficilius probari posse puto a doctissimo Episcopo.

Qui ulterius non rite concludit dum dicit: « ast « Honorius confundit has duas voluntates, vel bo« nam voluntatem humanam utpote divinae volun« tati in omnibus consonam, in hanc prorsus tran« sire sinit » eaque de causa eum dicere : *Unde unam voluntatem fatemur etc.* Siquidem semper ipsi probandum superesset de utraque voluntate unam fecisse Honorium per cit. verba; si enim hic illam unam voluntatem de humana intellexit dixit-

que in omnibus consonam divinae voluntati, non sequitur ex hoc eum confudisse voluntates ipsas, sicut non confunditur voluntas hominis justi cum divina, quod Deo omnimodis sese subjiciat. Atque hinc lectores deprehendant velim contradictionem, in quam labitur; affirmat enim, Honorium per citatam sententiam vel divinam et humanam voluntatem confudisse, vel humanam utpote divinae in omnibus consonam in divinam conversam fuisse arbitratum; ergo ego concludo : Honorius de voluntate humana locutus est. Quomodo ergo scribere ipse potuit, (pag. 17.) eum dixisse : ergo una duntaxat voluntas est in Christo, divina scilicet ? Certe enim si locutus est de humana voluntate, confusio inter utramque sequi potuit, (loquor in sensu Hefele) non vero si locutus de divina sit. Fortasse ne confudit voluntatem divinam cum semetipsa ?

Hinc pergo ad alterum argumentum expendendendum, quo contendit Honorium de voluntate divina locutum, dum dixit *unam voluntatem fatemur*, ex quo opineretur, Christum dicendo, *non mea voluntas, sed tua fiat*, non proprio sensu et obvio esse locutum, sed habita ratione ad nos; ne nostram scilicet, sed Dei voluntatem exequamur.

Quasi nempe ignoraverit Honorius Christum potuisse loqui proprio sensu et obvio, et habere tamen rationem ad nos; vel existimaverit numquam Redemptorem locutum vero et proprio sensu, cum locutus est ratione ad nos habita, vel cum propter nos aliquid dixit. Fortasse dum S. Cyprianus in Tractatu de Oratione dominica scripsit « Nec ver« bis tantum, sed et factis Dominus orare nos do« cuit, ipse orans et deprecans, et quid facere nos

« oporteret exempli sui contestatione demonstrans, « sicut scriptum est: ipse autem fuit secedens in « solitudinem et adorans. Et iterum: exivit in « montem orare, et fuit pernoctans in oratione « Dei (1) » Dum, inquam, haec dixit Cyprianus, negavit fortasse Christum orasse sensu proprio et obvio, quod scripserit, huiusmodi agendo habuisse rationem ad nos? Aut dum S. Ambrosius in eadem verba: *Transfer calicem istum a me* scripsit: Disce tamen Deo esse subiectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod scias Deo placiturum; (2) ex quibus suam sententiam mutuatus videtur Honorius, negavit Christum illa verba protulisse sensu vero et proprio? Aut fortasse dum Augustinus exponens illa verba a Christo in Cruce prolata: *deinde dicit discipulo: ecce mater tua*, scribit; « Moralis igitur « insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, « et exemplo suo suos ministros instruxit praece- « ptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura pa- « rentibus (3) » negavit, inquam, haec a Christo sensu vero et proprio prolata? Non potest igitur Honorius dici negasse, Christum locutum sensu vero et obvio, quod scripserit, eiusmodi verba propter nos dixisse. Nonne Patres passim docent etiam miracula propter nos Christum operatum, ut ex illis erudiremur? Ita Augustinus Tract. 44. in Ioan. « Ea quae fecit D. N. I. Christus stupenda atque « miranda, et opera et verba sunt; opera quia fa- « cta sunt, verba quia signa sunt. » Ex hoc igitur

(1) Habetur in Breviario Rom. 1. Lect. 2 Noct. in offic. Orationis D. N. I. C. in monte Oliveti.
(2) Ibid. Lect. I. 3 Noct.
(1) In Brev. Rom. Offic. VII. dolor' B. M' V. Lect. 1. III Noct.

tantummodo quod Honorius scribat, verba illa: *Non quod ego volo etc.* propter nos dicta esse, non sequitur eum exclusisse sensum proprium et naturalem verborum, vel sensu proprio et obvio Christum non esse locutum. Etenim: Honorius opinatur, Christum dicendo *Non quod ego volo etc.* locutum esse habita ratione ad nos; ergo Honorius opinatur Christum non in proprio sensu et obvio esse locutum. Si ego ex verbis Honorii ita argumentarer, Reverendissimus Episcopus certo certius negaret consequentiam, aut saltem distingueret. Sed ulterius antequam Honorius dicat: *ista enim propter nos dicta sunt*, nonnulla praemiserat, quae a Rmo Praesule omnino consideranda erant. Siquidem dixerat: Et *si quidem scriptum est.* Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, *non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae*; illa vero diversa voluntas erat voluntas contraria, id est lex membrorum et carnis; de qua re ne dubitet Episcopus doctissimus, legat quae paullo supra disputat Honorius. « Lex « alia in membris, aut voluntas diversa non fuit « vel contraria Salvatori, (cuius ratio est) quia « non fuit assumpta a Salvatore vitiata natura quae « repugnaret legi mentis eius » ob rationem illam evidentissimam, *quia super legem natus est humanae conditionis.* Itaque iuxta Honorium, verba a Christo prolata non fuerunt voluntatis diversae, seu contrariae seu legis membrorum et carnis; fuerunt igitur vel humanae voluntatis, vel divinae. At quomodo affirmabimus illam sententiam tribuisse Honorium divinae Christi voluntati? Certe nonnisi ita ratiocinando: Oratio illa: *Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater* non fuit diversae, seu contrariae voluntatis, aut

legis membrorum et carnis, quae Christi inesset humanitati; ergo fuit divinae Christi voluntatis. Consequentiam quaero non ab Honorio, sed ab iis qui ita eius sententias interpretantur. Hoc primum. Deinde vero, si eam orationem Honorius tribuit voluntati divinae; ergo confessus est divinam voluntatem recusasse passionem; magis proinde haereticus quam monothelita quicumque, qui ut tantam impietatem refugerent, dicebant ibi Christum locutum esse *recusative, non positive.* Ergo ne Honorium dicamus vel adeo pessime ratiocinatum, vel adeo impie sensisse, concludendum et mihi et Remo Hefeleio est, quod cum Honorius dixit: *non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae*, dicere voluit; haec non procedunt a voluntate Christi humana, quae passionem recusaret, sed a voluntate quae erat conformis omnino voluntati divinae; illa Christus non protulit tanquam Deus, sed tanquam homo, qui se subiiciat Dei voluntati; illa procedunt a duabus voluntatibus in idem opus contendentibus; cuius ratio ab Honorio datur; quia nempe, cum Christi voluntas naturalis carnis voluntate non abstraheretur, non potuit per illam orationem repugnare divinae voluntati, siquidem repugnantia haec fuisset effectus carnalis voluntatis, qua Christus carebat quia *super legem natus est humanae conditionis.* In quibus proferendis, ipsis Christi verbis insistit; siquidem illa non dicunt contrariam voluntatem, sed omnino uniformem; *non quod ego volo, sed quod tu, Pater.* Huiuscemodi autem nequaquam loqui potuisset Honorius si praeter divinam, etiam bonam voluntatem humanam in Christo non statuisset; siquidem affirmasset vel Christum subiecisse Patri voluntatem

divinam, quod est impium, vel dedisse nobis exemplum quod non dabat, quod repugnat veracitati Christi, vel nullimode respondisse ad Sergii difficultatem, pugnam ex his verbis introducentis inter humanam et divinam Christi voluntatem, quod est contra manifestum totius epistolae contextum. (1) Siquidem si Honorius illam orationem voluntati divinae Christi tribuit, Sergio ita respondet. Bene ratiocinaris. Demum verba: *ista enim propter nos dicta sunt*, relationem dicunt ad verba: *non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae.* Siquidem ideo propter nos illa dicta sunt, quia erant dispensationis humanitatis assumptae; si dispensationis humanitatis assumptae; ergo dicta fuere a Christo homine; ergo in eo fassus est Honorius voluntatem, quae illis verbis se Deo subiiceret; ut Deus enim Christus eiusmodi exemplum discipulis dare non poterat. Exinde vero patet, neutiquam uti falsam traducendam esse assertionem Ioannis Symponi dum in suis ad ImperatoremConstantinumHeraclii filium literis dixit, Honorium exclusisse a Christo tantummodo peccaminosam voluntatem; de divina vero nihil dixisse, cum nonnisi ad illa respondisset, de quibus a Sergio esset interrogatus; quod repetit deinceps Ioannes IV. in cit. Apologia. Siquidem etiamsi Sergius scripserit; « Insuper et consequens ei sit (affirmanti « duas operationes) praedicare duas voluntates con« trarietates circa invicem habentes, tanquam qui« dem Deo Verbo salutarem volente adimpleri pas« sionem, humanitate vero eius obsistente eius vo« luntati et resistente. » ad quae alludit Rmus de Hefele; tamen pugnam ab humana voluntate repe-

(1) Cf. pag. 137 huius Dissertationis.

tit Sergius, cum de hac dicat, quod si in Christo admittatur, fore ut contradicat divinae voluntati; eaque de causa universa sua epistola eam omnino e praedicatione fidei eliminare conatur; ex quibus sequitur falsa non scripsisse utrumque Ioannem dum dixerunt *ad hoc factam esse praedicti Patriarchae interrogationem*; siquidem si ad purum quaesitum epistola Sergii reducatur, haec certe prodit interrogatio: sequitur ne in Christo voluntatum pugna, si in eo voluntas humana activa praedicetur? ad quaesitum Honorius *negative* respondet, ea evidentissima adducta ratione, quod Christus non suscepit naturam hominis corruptam, sed integram, cui proinde inesset voluntas undequaque divinae voluntati conformis, cum fomite careret, quo retraheretur a divinis voluntatibus faciendis, quae Honorii ratio diserte a doctissimo Episcopo admittitur. Probandum hinc ab ipso est adhuc, utrumque Ioannem falsa asseruisse, quod scripserint Honorium de divina voluntate non esse locutum, cum nonnisi ad ea respondisset, de quibus a Sergio esset interrogatus; reapse enim Honorius a Sergio interrogatus fuerat, ut iterum dicam, an sequeretur voluntatum pugna si in Christo humana voluntas, saltem activa admitteretur.

Secundam doctissimi Episcopi quaestionem praetermittere possem: siquidem et ego fateor, (et fateri id etiam omnes illi debent qui veritatem amant) Honorium in VI. Synodo ut haereticum damnatum fuisse. Attamen humiliter rogo Remum Praesulem ut legat ea quae scripsi cap. XI. et seqq. huius dissertationis; ex iis siquidem sequitur.

1°. Non VI. Synodum, sed Episcopos Orientales ius sibi vindicasse sententiam ferendi de Papa ex cathedra loquente.

2°. Patres Orientales (numquam Concilium VI.) condemnasse Honorii ex cathedra datum fidei decretum, eumque anathemate perstrinxisse eo quod haereticam doctrinam confirmasset. At contra omnem veritatem et iustitiam, errando insuper in facto dogmatico. Ex quibus sequitur, nullimode eiusmodi iniustum falsumque iudicium nocere posse Honorii et Romanorum Pontificum causae.

Ut vero ad tertiam quaestionem a praestantissimo Episcopo propositam respondeam. *Neminem illius temporis invenies*, inquit, *qui crediderit, Concilium hoc procedendi contra Honorium modo, aut non iuste aut non competenti auctoritate egisse; etenim. a) omnes episcopi in synodo praesentes hanc sententiam subscribendo approbarunt:* Orientales scilicet, qui in causam vocantur an iuste sententiam tulerint, et an recte illi subscripserint. Sicut autem iniuste prorsus damnarunt ut haereticas Honorii epistolas, ita et prorsus iniuste latae condemnationis sententiae subscripsere. Unum sequitur ex alio. At prorsus de his Matthaeus Cariophilus loquitur in testimonio supra cit. pag. 216. in nota.

« b) Ipsi quoque Pontificis Legati praesentes et prae-
« sidentes iudicio lato assenserunt, nihil plane obmo-
« ventes, nec contra Concilii competentiam, nec con-
« tra materialem synodalis sententiae rectitudinem. »
Id est, non legimus in actis eos reclamasse. De cetero si tacuerunt in Concilio, gravissimis de causis; subscribendo vero damnationi, cum excesserint facultates eis a R. Pontifice concessas, nullius roboris est eorum subscriptio et assensus.

c) *Confirmata est haec sententia Synodalis* (non fuit Synodalis, ut probavi) *non solum ab*

imperatore (huius confirmatio nullam dare potuit auctoritatem damnationi Honorii etiamsi iusta fuisset, ut patet; ideoque praetermitti poterat), *verum etiam a Summo Pontifice*, qui propriis verbis illam repetiit. Postremis hisce verbis duo omnino falsa profert doctissimus Hefele; et absolute Leonem II confirmasse sententiam Orientalium; et eam repetiisse *propriis verbis*. Cum enim exploratum sit, (ipso Hefele luculentissime id probante, tum alibi, tum in hoc opusculo) Honorium damnatum ut haereticum fuisse , Leo II Synodi sententiam non confirmavit absolute , cum Honorium negligentiae damnet; ideoque eam abrogavit, aliamque substituit. (Cf. Cap. XIV huius Dissertationis.)

Non repetiit autem propriis verbis. Siquidem Patrum Orientalium verba haec sunt. « Anathe- « matibus interfecimus Theodorum, Sergium, Ho- « norium , Cyrum etc; ad hoc et eos qui vivunt « suscepta illorum impietate, » id est per quorum os diabolus negaverat duas voluntates, et duas Christi operationes; et qui renovaverant impietatem Apollinaris et Severi; Leonis vero haec: «Pariterque ana- « thematizamus novi erroris inventores, Theodorum, « Cyrum, Sergium etc, Cptanae Ecclesiae subver- « sores magis quam praesules; nec non et Hono- « rium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apo- « stolicae traditionis doctrina lustravit , sed pro- « fana proditione immaculatam maculari permi- « sit. » Sententiae toto coelo distant. Neque insistendum est, quod in hac ad Imperatorem epistola scribat, Honorium *profana proditione immaculatam fidem subvertere conatum esse* , vel iuxta textum graecum *subverti permisisse* ; quae durius sonant; nam haec sententia explicanda est cum iis

quae scribit tum ad Hispaniae episcopos, tum ad Hervigum Regem; siquidem unam eandemque sententiam in his epistolis protulit Leo. At in postremis Honorium damnat *quod incipientem haeresim negligendo* confoverit; ergo et in epla ad Imperatorem Pogonatum idipsum scripsisse et sensisse dicendus est; cum vero haeresis et negligentia toto coelo distent, hinc duo omnino evidentissima concludo, et Leonem non confirmasse sententiam Synodi VI, et eam propriis verbis non repetiisse.

Hanc vero sententiam proferendo *rem acu* non tetigit Leo, si eam protulit sensu quo scribit doctissimus Hefele. Siquidem dicit, ideo Leonem *rem acu* tetigisse cum scripsit de Honorio « *negligendo confovit, et maculari consensit*, quia animadvertebat ex I. Epistola Honorii, ipsi rectam utique de persona Christi doctrinam ob oculos esse versatam, Chalcedonensem scilicet doctrinam, eum tamen false inde conclusisse; eum itaque in corde haeretice non sensisse; attamen reapse terminum specifice orthodoxum (*duas operationes*) damnasse, et terminum specifice haereticum (*unam voluntatem*) sancivisse. Honorius hoc non fecit mala ductus voluntate, sed ex negligentia, (debuisset ni fallor dicere *ex ignorantia*) et sic maculari doctrinam fidei permisit et consensit. » Hic est ne sensus sententiae a Leone latae ? Id perpendendum omnino est.

Et 1°. Leoni nedum persuasum fuit Honorio ob oculos fuisse versatam rectam de persona Christi doctrinam, sed etiam doctrinam de duabus naturis; profitebatur siquidem, praedicandamque mandabat Sergio, Cyro, et Sophronio integram fidem Chalcedonensem, quam fere iisdem Leonis magni verbis repetit tum in prima, tum clarius in secunda

epistola, et cum id constet ex Honorii epistolis, quas certe Leo II. legit, et perpendit; hinc dubitandum non est quin id ei persuasum fuerit; qua de causa non potuit de fide Honorii decernere tantummodo ex iis quae hunc deduxisse affirmat cl. Hefele ex persona Christi, sed etiam ex iis quae dicit de duabus naturis; ex iis vero quae de duabus naturis dicit divinus Honorius in secunda praesertim epistola omnino sequitur, eum admisisse in Christo duas operationes; (naturas propria operantes atque operatrices vel agentes, ut apud Mansi habetur) ergo ex iis etiam S. Leo debuit Honorii fidem iudicare. Secundo observo Leonem II. nedum ex prima Epistola, sed etiam ex altera praedecessoris fidem iudicasse. Crudelior ne fuit ipse Orientalibus sextae Synodi, qui ex utraque fidem illius iudicarunt et condemnarunt? At si ita sese gessit Leo, non potuit putare false Honorium inde conclusisse, eliminando duarum operationum vocabulum; perspexisset siquidem illud non eliminasse quod duas operationes Christi negaret, sed propter simplicitatem hominum, et ad amputandas inextricabiles quaestionum ambages. Dico 3. quid censuit S. Leo II. ex persona Christi Honorium false conclusisse? eliminandum nempe terminum (duas operationes) et sanciendum terminum « unam voluntatem, » quam esse divinam doctissimus Hefele contendit. Conclusisset igitur Leo Honorium « unam Christi operationem, et unam Christi voluntatem » ex persona Christi false conclusisse; conclusisset igitur, eum in omnibus reapse mentem Sergii secutum esse, eique in omnibus suffragatum; siquidem hac in hypothesi conclusisset, praedecessorem suum docuisse « purum putumque Monothelismum; etenim ex persona Chri-

sti etiam monothelitae unam operationem concludebant. Vel enim S. Leo putavit a praedecessore suo proscriptum (falsa illa conclusione ex persona Christi) nudum vocabulum duarum operationum et voluntatum, vel etiam rem per vocabulum significatam. Si hoc postremum. Ergo Leo putavit Honorium fuisse purum Monothelitam. Si illud ergo putavit eum eliminasse vocabulum, non quod ex persona Christi false concluserit, sed ex dispensatione, quod nempe illud posset scandalum generare, propter causam nempe omnino a fide Honorii et a fide Chalcedonensi extrinsecam. 4. Unde vero didicit Remus Episcopus Rottenburgensis a Leone cognitum Honorium in corde suo haeretice non sensisse, dum illa false ex persona Christi concluderet? non certe ex Honorio qui iam obierat; ergo ex epistolis. At ego nescio quomodo ex his illius catholicum animum iudicare Leo potuerit, si praesertim vera sunt quae citatus Episcopus affirmat; nam iudicasset de Honorii fide ex iis quae false deduxit ex persona Christi; deduxit vero unam voluntatem et unam operationem; iudicavit igitur Leo quod ex persona Christi unam voluntatem et unam operatione praedicaverit Honorius, etsi false concludendo. At Rmus Episcopus optime novit, ea quae ex vero principio false deducuntur, ex animo deduci. Siquidem dum illa Honorius concludebat, animadvertebat haeresim, in quam prolabebatur, vel non; si animadvertebat ergo ex animo docuit haeresim et fuit haereticus formalis; si alterum, ergo ignorantia quidem ductus, sed tamen ex animo falsa illa concludebat, quae putabat ex praemissis undequaque veris dimanare; non enim dicendus Honorius est scripsisse ex principio vero falsas conse-

quentias, harum falsitatem apprime cognoscendo, siquidem haeresim ex animo docuisset, quae tamen pugnant cum iis quae dicit Hefele, Honorium nempe in corde haeretice non sensisse. Eia tamen. Quid tandem ex persona Christi false conclusit Honorius? eliminanda scilicet vocabula duarum operationum, et voluntatum. At praetermisso quod circa voluntates, nunquam ipse probavit esse divinam illam unam voluntatem quam Honorius in prima sua epistola scribit, quod quousque non probaverit semper in suis conclusionibus petitione principii laborabit. Hoc, inquam, praetermisso: peto iterum a Rmo Episcopo, cum vocabula illa eliminavit Honorius, eliminavit nec ne etiam fidem in vocabulis contentam? Si illud; ergo et haeretice (sive ex ignorantia, sive ex malitia non quaero) in corde suo sentiebat. Si hoc; quomodo potest ipse concludere locutum esse Honorium de voluntate divina, cum dixit unam voluntatem fatemur? Quaero iterum: quare non dixit vocabulum duarum voluntatum silentio praetereundum, sicut hoc dixit de vocabulo operationum? atque insuper quaero: quomodo nudo vocabulo unius voluntatis non substituit doctrinae catholicae praedicationem, quomodo illam substituit vocabulo eliminato duarum operationum? substituit enim « duas naturas propria operantes atque operatrices, substituit: Christum operatum divina media humanitate, eumdemque operatum humana, assumpta carne, discrete, inconfuse. etc. » quae quo sensu sint intelligenda solidis, ni fallor, argumentis probavi; quasque inutiliter substituisset, si negasset humanitati Christi voluntatem activam, cum anima operatrix sit et agens per voluntatem activam? Atque demum quaero:

quomodo factum sit ut Monothelitae argumentis Honorii, quibus probabat unam in Christo voluntatem divinam, ut Rmo Epo videtur, numquam abusi sint? Concludo interea sensum damnationis Leonis II non hunc esse, quod putaverit Honorium ex persona Christi « false inde conclusisse » sed quod ipse debuisset aperte et strenue eis resistere, et nullimode, neque per dispensationem, seu ad scandala vitanda, et ad amputandas inextricabiles quaestionum ambages silentium indicere vocabulo duarum operationum, et aperte, ipsis nempe verbis, dicere in Christo « duas voluntates: » in quo iudicio ferendo utrum S. Leo II recte sese gesserit, Deus scit. Ego enim nescio quis magis Ecclesiae causae nocuerit, (per accidens tamen) Honorius ne monothelitas illico non anathematizando, vel S. Leo hunc, etiamsi negligentiae, damnando. Ex iis vero patet prolatam per oecumenicam Synodum Honorii condemnationem nullimode tanquam iustis motivis innixam agnovisse Leonem; sin minus enim eam confirmasset eo sensu quo lata fuit; patet insuper valde Pontificiam auctoritatem super illam Orientalium in Concilio VI, vel Concilii VI, ut placet remo Episcopo, extulisse, cum sententiam illius abrogaverit, aliamque substituerit; quod nisi maiorem habuisset auctoritatem facere non potuisset. Ex quibus ruit etiam id quod dicit: « Concilii « competentiam in dubium revocare nec in mentem « ei venit. « Quare enim Leo haeresis non damnavit Honorium, nisi vel quia huius epistolae ab haeresi immunes fuerant a praedecessoribus declaratae, vel quia censuit iniustam Concilii sententiam? Arbitratus est ergo eas non potuisse damnari contra Romanorum Pontificum mentem; censuit igitur

nullam habuisse VI. Synodum in supremum Ecclesiae Pontificem competentiam sententiam ferendi sine Apostolicae Sedis iudicio. E contra etiamsi nullus e praedeccesoribus Pontificibus Honorium negligentiae damnaverit, nullus tamen eum veluti diligentem in negotio illo gerendo laudaverat, saltem manifesta sententia. Quid igitur Leo? Ne maiora mala ex Graecorum pravitate Ecclesiae obvenirent, usus dispensatione est, atque arrepto praedecessorum silentio circa Honorii diligentiam, contra sententiam Concilii VI, edixit, eum non haeresis esse damnandum, sed negligentiae in haeresi extirpanda, quasi silentium indicendo duarum operationum vocabulo monotheli ticum dogma confoverit; qua de cetero silentii oeconomia abusi certissime Monothelitae fuerant ad suam haeresim propagandam contra Honorii mentem et voluntatem. Qua de causa Leo II. substituendo propriam Concilii VI. sententiae, de facto sancivit, sine Romanorum Pontificum consensu, multo minus contra manifestam ipsorum mentem, nihil omnino posse Concilium etiam oecumenicum decernere contra primum Ecclesiae pastorem, cum debita ad id competentia destituatur.

Erravit igitur Hadrianus dum condemnationem istam ceu iustam eo agnovit quod Honorius « fuerat « super haeresi accusatus; propter quam solam li« citum est minoribus maiorum suorum motibus « resistendi? » At antequam Remus Episcopus diceret Hadrianum iustam eiusmodi damnationem agnovisse, debuisset probare habuisse eum praedecessorem suum ut haereticum, ex quo tantummodo sequeretur damnationem istam ceu iustam agnovisse; id autem ex citato testimonio non evincitur, neque aliud proferre licet, ex quo id evincatur. De ce-

tero cum ipse in professionis formula quam iuravit antequam in Pontificem consecraretur, Honorium negligentiae damnasset, non potuit iustam Orientalium sententiam putare, qui ut haereticum illum damnaverant. (1) Hadrianus autem Synodi competentiam in iudicando Honorio omnino in dubium vocavit, cum scribat: «quamvis et ibi nec patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primae Sedis praecessisset auctoritas. » Dicit ergo Hadrianus deceptus epistola Synodica Patrum Concilii VI., nequivisse Orientales in Concilio VI. dicere contra Honorium anathema, nisi de consensu Sedis Apostolicae; ergo competentia Concilii VI. in causa Honorii omnino nutat, si attendamus Hadriano. Et quidem rationabiliter; siquidem ille post mortem damnatus fuit; cum autem Concilii oecumenici sententia ut sit legitima, debeat prodire ab Episcopis coniunctis cum Romano Pontifice, qua ratione poterant Orientales spernere Agathonis circa Honorii fidem latum iudicium? Etenim primus catholicae Ecclesiae Pontifex certe concurrere cum inferioribus debet in iudicio contra praedecessores suos ferendo. At hoc in casu falsum est, inquies, quod dicit Hadrianus, « propter haeresim licitum esse minoribus maiorum

(1) Ejusmodi damnationem justam fuisse omnino negavit Anastasius, dum scripsit : « Honorium a calumniatoribus impetitum, quod unam Domini scripserit voluntatem. » At haec non potuisset proferre, si justam eam putasset. Cum enim in Concilio haeresis damnatus fuerit, non a calumniatoribus, sed ab amatoribus veritatis impetitus fuisset, quod unam Domini scripserit voluntatem. Quibus si addantur ea quae dicit Hincmarus. (Cf. pag. 215 huj. Dissert.) apparebit numquam justam legitimamque, ab Occidentalibus saltem, putatam fuisse Honorii damnationem in Concilio VI. latam.

« suorum motibus resistendi, vel pravos sensus « libere respuendi. » Falsum non est dico, quia Hadrianus hisce verbis generice loquitur, et dat regulam; non loquitur de Pontificibus defunctis, sed viventibus; cum enim immediate post ad Honorium redeat defunctum, omnino decernit eum sine consensu R. Pontificis damnari non potuisse; quod adeo verum est, ut si in citatis verbis eum de Honorio locutum dicamus, sibi turpiter contradixisset, dum affirmasset eodem tempore licitum fuisse minoribus haeresi eius obsistere, et tamen non potuisse sine consensu Sedis Apostolicae damnari.

Praetermitto argumenta quae doctissimus Episcopus pro re sua desumit ex repetita Honorii condemnatione in Conciliis VII, et VIII, tum ex professione fidei Romanorum Pontificum; quid enim ad haec respondendum sit, patet ex cap. praecedenti.

Ex iis vero quae disputata sunt sequitur, numquam RR. Pontifices iureiurando affirmasse, Honorium a Sexto Concilio iure fuisse anathematizatum; numquam enim putarunt eum probasse suo fidei edicto haeresim, sed hanc negligentia, ei aperte nempe non resistendo, confovisse; quod iudicium cum ex epistolis Leonis II. desumptum sit, tanti idcirco faciendum est, quanti unius Leonis auctoritas. Cum vero huius iudicium dogmaticum dicendum non sit (non enim decreta dogmatica circa personales hominum defectus versantur) hinc eam tantummodo fidem sibi vindicat, quae ex historia haberi potest. Ex qua si reapse constiterit, Hono-

rium negligendo haeresim confovisse, negligentiae utique damnabitur; (1) haeresis vero nunquam cum probari omnino non possit, eum haeresim docuisse aliquando vel confirmasse.

(1) Honorius negligens ne reapse fuit, dum dispensatione potius, quam aperta condemnatione contra monothelitas usus est? Lectoribus haec consideranda subjicio 1. De sententia Synodi Romanae, quam in facto interrogavit Honorius, illa quae scripsit ad Sergium, scripsit decrevitque; fecit igitur ab initio quod a quolibet viro prudentissimo atque diligentissimo fieri solet 2. Sergius numquam de haeresi fuerat accusatus, sicut neque Cyrus. 3. illius epistola etiamsi haeresim contineret tamen tanta animi modestia, et erga supremum Ecclesiae pastorem reverentia erat conscripta, ut Honorius nequiquam suspicari potuerit eum in haeresi permanere velle, cum promptum paratumque sese diceret circa fidem amplecti quidquid a R. Pontifice fuisset definitum 4. Silentium indixit circa nuda vocabula operationum, cui iam ipse Sophronius fuerat assensus, quod etiam Sergius optimum esse remedium inculcabat ad novas quaestiones vitandas. 5. Hujus dispensationis exempla praecesserant, ex. gr. dum Vigilius de quaestione trium capitulorum silentium imposuerat, atque dum S. Basilius, quod gravius videri debet, Macedonianis indulserat abstinere interim a dicenda divinitate Spiritus Sancti. 6. Quia sicut Basilius interea non cessabat aliis verbis probare divinitatem Spiritus Sancti, ita et Honorius proponendo fidem Chalcedonensem, et duas Christi naturas propria operantes atque operatrices, aliis verbis duas voluntates et duas operationes inculcabat, et praedicabat. 7. Quia plurimi Catholici illud silentium perniciosum non existimabant; ita Sergius Cypri episcopus ad Theodorum Papam. « Usque ad hanc igitur diem dispensationem aliquam quaerentes, tacuimus eis, arbitrantes ad meliora immutare eos proprias doctrinas . . . Ulterius autem iam non patimur, seminantibus eis zizania et scandala . . . in omnem mundum. Mansi Tom. XI. Col. 915. Qua de causa ab initio quaestionis inconsultum neque catholicis silentium illud visum est. 8. Et quidem rationabiliter; siquidem ab initio partes contendentes effervescunt, et quodammodo ebulliunt; quare si quod medium sit, quo ad pacem reduci queant, salva fidei integritate, illud omnino proponendum est, eique insistendum; at vero etiam quid amplius Honorium fecisse patet; siquidem silentio indicto circa nuda vocabula operationum, proponebat

ut omnes interea praedicarent fidem Chalcedonensem, id est duas naturas Christi propria operantes atque operatrices; quae fides immediate ad duas voluntates et operationes adducit. 9. Leo II, et Successores ejus utique Honorium negligentiae damnarunt; non vero Pontifices qui ante Concilium VI. vixere; his vero causa Honorii melius perspecta erat quàm illis. 10. At circa damnationem latam a Leone II animadvertere debemus, tunc temporis Romanorum Pontificum electionem debuisse probari a Graecorum Imperatore. Quae autem intercesserint circa Honorii damnationem inter Leonem II. et Imperatorem Pogonatum nescimus; at nonnisi vi et necessitate compulsus (haec suspicio mea est, sed habeatur ut factum historicum) contra omnium praedecessorum suorum mentem Honorium Leo negligentiae damnavit. Exinde vero necessitas dominii temporalis Romanorum Pontificum, ut ab omni saecularium Principum influentia independentes et liberi omnino sint. 11 Demum post saeculum XI. etiam RR. Pontifices praetermiserunt Honorium damnare, quod pravis haereticorum assertionibus fomentum impenderit. Et bene fecerunt.

FINIS

INDEX

NIHIL OBSTAT
Fr. Thomas. M. Martinelli O. E. S. A.
S. S. Professor C. D.

Ex S. Cong. Studiorum
NIHIL OBSTAT
Placidus Ralli a Secret.

IMPRIMATUR
Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Joseph Angelini Archiep. Corint. Vicesg.

PAG.	LINEA	ERRATA	CORRIGE
9	31	haee	haec
33	31	esse humanam	esse, humanam
37	10	exhibuimus totam	exhibuimus, totam
38	3	eu	seu
38	20	inutitis	inutilis.
39	19	alflictabatur	afflictabatur.
49	9	illa, corumpi	illa corrumpi
60	5	dicere	dicere,
« «	15	Eutchianorum	Eutychianorum.
« «	26	accusaverint	accusaverat
61	1	patefactum	patefactam
62	13	praecipua	praecipue
63	4	probent	probant.
63	5	afferentor	afferuntur
63	8	alem	talem
91	31	Inquo de cetero excedit	Dele haec verba
109	24	tumu	tum.
120		repone Notam ad pag. 121	post verbum loquitur
120	23	naturalier	naturaliter.
143	12	In	Id
144	14	assumpisse	assumpsisse
145	1	Ioanne	a Ioanne
147	30	deceptus; sit	deceptus sit
154	34	Episcopi	Episcopi Romani
159	28	potes	potest
167	2	nostri	nostris
179	5	Scripta	Scriptae
185	33	naturale	naturales
193	7	sententia tradita	sententia subscripta et
204	«	Caput XII.	C. XI.
216	19	traducebatur	traducebat.
220	7	Caput XIII.	Caput XII.
227	9	Caput XIV.	Caput XIII.
235		Caput XIII.	Caput XIV
« «	17	Synodo	Synodi
239	«	et operationes	deme hoc vocabulum
255	3	decretum	decreto
257	«	eo	et

N. B. « Pag. 198. sripsi Constantinum Pogonatum in sua epistola ad Leonem II. et Rom. Concilium mentionem ob reverentiam fortasse R. Sedis, de Honorio non fecisse. Me fugit neque Patriarcharum Cptanorum eum meminisse.

Pag. 122. memoriae lapsu posui verba Patrum Chalced. pro his verbis Honorii: mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis. In paucis exemplaribus irrepsit etiam perfectum in humanitate, pro: plene hominem.